bitare, non humo repere, ſed volitare: illis elephantes cibos eſſe, nexibus, ſuis ita ingentium belluarum membra conſtringere, ut eis ſpiritum vitalem velut muſcis eripiant: ſed placet magis *dracones* interpretari de animalibus aquaticis, propter cauſas, quas dixi, & non de terreſtribus, vel amphibiis, vel utriſque. Monet putatus Hieronymus non eſſe in Hebræo *dracones*, ſed תנינים *thanninim*, quod inquit, interpretatur *cete*. Vetus tamen Hieronymus *dracones* hic vertit, ut retuli, & aliis locis: nec ut videtur Trevetus velle, dicuntur hic *dracones de terra*, quaſi indicetur in cavernis terræ habitantes. Voces illæ *de terra*, ut notatum eſt, pertinent ad res omnes, quæ in terra ſunt, quamvis etiam aqua efficiens unum globum cum ipſa. Id Auguſtinus in opere de Geneſi ad litteram *a*,

a lib. 9. c. 1.

obſervavit, nec hic poſtea dici, *Laudate Dominum de aquis*, ſed ſub nomine *terra* comprehenſas abyſſos, & aquas, & res alias inferiores, quæ de terra laudant Dominum. Græci ex hoc animali cauſam Deum laudandi magnam ſuppetere dicunt, quod ea mole præditum, & compactione, quam Job narrat *b*, à Deo acceperit pro habitatione ſinus, ac regiones maris innavigabiles, nec ſinatur ſtatutos B terminos prætergredi, nec ad terram, vel ad maris navigabiles partes excurrere, ne naves, aut alia piſcium genera vaſtet; Mira de draconibus commemorat Simon Majolus colloquio 8. canicularium dierum ex variis Auctoribus; tamen præſertim de terreſtribus. Quia vero ſub draconibus aquaticis piſces omnes comprehendi David voluit, latus ſe campus hic offerret de laudibus divinis circa hoc animalium genus, quod pueri quoque tres invitant ad benedicendum Domino ſub vocabulo *cete, & omnium, quæ moventur in aquis* c. Myſticè retuli Hugonem S. Victoris *dracones* in bonam partem interpretatum, quia ſunt adeo magni, de illis, qui magno juſtitiæ merito, vel boni nominis opinione, & auctoritate ceteros tranſcendunt; ut inter Patriarchas, inquit, Abraham, Eſaias inter Prophetas, Joannes inter Evangeliſtas, Petrus inter Apoſtolos, Stephanus inter Martyres, Nicolaus inter Confeſſores, B. Maria inter Virgines. Putatus Hieron. refert ad eos, qui primum dracones erant, habebantque venena ſerpentum: ſed ubi *abundavit in eis peccatum, ſuper abundavit & gratia* d; atque agendo pœnitentiam, tamquam venena deponendo peccatorum, convertuntur. Caſſiodorus ait, quoniam hic hymnus eſt beatorum, qui poſt hujus ſæculi permutationem cantatur; per *dracones*, & *abyſſos*, hic truculentas, & validas accipi debere perſonas, quæ in hac vita converſæ, in illa patria dominicis laudibus honorantur. Anaſtaſii Synaitæ *e*, mens eadem, quoniam declarat dracones iſtos de gentium Principibus, qui prius erant feri, & inhumani; atque eodem pacto *abyſſos*, quas etiam Abacuc *f*, turbatas canit, equis in mare inductis, ideſt, ſanctis Angelis, & Apoſtolis. Hoc loco Haimo crudeliſſimos homines accipit, ſed converſos. Vix reperias bonæ rei ſymbolum draconem eſſe, vel marinum, vel terreſtrem. Lege Bercorii *g*, Reductorium morale, & Dictionarium, ſeu Repertorium quoque morale *h*: Joannem à S. Geminiano in ſimilitudinibus *i*: Hieron. Laurentium in Sylva allegoriarum *k*: Joannem Ferdinandum noſtrum in Theſauro divinarum Scripturarum *l*. Hic alterum draconem ex his, qui pugnare viſi ſunt inter ſe à Mardoch. intelligit de Chriſto diabolum vincente in deſerto *m*, cùm Chriſtus dicatur ſerpenti ſimilis, quem Moyſes exaltavit in deſerto *n*, diabolum, inquam, qui tum aliis de cauſis, tum propterea comparabilis draconi eſt, quia draco quaſi incubus Olympiam Alexandri magni matrem, & matrem Julii Cæſaris Actiam oppreſſit, unde prodierunt duo illi Orbis ſummi an Principes, an tyranni. Senſum præterea habere poteſt bonum planctus ſtruthiorum, quem ſe Michæas facturum dixit *o*, prævidens captivitatem decem Tribuum. Joannes Motholonius in promtuario utriuſque juris *p*, docet per draconum capita contribulata in aquis *q*, denotari peccata, quæ lacrymis mundentur; luxuriæ, quia dracones, ſive diaboli habitant in ſpeluncis, vel aquis, lociſque humentibus *r*; ſuperbiæ, quia elevant ſe in aera, invidiæ, & iræ, quia illum turbant; gulæ, & avaritiæ, quia ſunt voraces; acediæ, ſive triſtitiæ, quia planctum habet enormem; aſtutiæ, & fraudis, quia ſunt aſtuti, atque occulte perſequentes. Franciſcus Gregorius *ſ*, Venetus, quærens quomodo dracones veneno, & malignitate pleni laudent Deum: & quomodo abyſſi, vel voragines terræ (ſic enim *abyſſos* intelligit) in ipſius laudem prorumpere poſſint; reſpondet per *dracones* intelligi Samael; & Amomineth, ſeu Mammona, qui fratres à ſecretioribus Theologis dicuntur, & ambo venenum infundunt; ita ut Samael venenum Dei exponatur: & hos faciendo, quod ſuum eſt, Deum laudare de terra, de qua ſcriptum eſt *t*, *Plena eſt omnis terra gloria ejus*, ſcilicet Dei. Præterea interpretatur per הוינם *thanninim*, Angelos magno munere donatos, ut etymologia, inquit, nominis indicat; quoniam horum nonnulli draconibus, & abyſſo præſunt, & ab hujuſmodi quoque Deus laudes exquirit. Secretior hujuſcemodi Theologia non eſt admodum ſacra, ſed Judaicam cabalam redolet, parumque, & ſecundum rem, & ſecundum vocabulorum notationes videtur vera. Sed non hic immoremur, nec ſatis apte ad laudes divinas acceſſuntur dæmones, qui Deum ſemper blaſphemabant, licet *credant, & contremiſcant* u, & genu quoque inviti flectant *x*, & eorum malitia, pœnaque in Dei laudem velint nolint redundet. Debent iſta omnia referri, ut Ambroſius *y*, docet, non ad intelligibiles naturas, ſed ad veritatem: & laudant Dominum, quia natura eorum, & ſpecies, quum videtur, non minimum vel decoris offundit, vel ineſſe rationis oſtendit.

b cap. 40. 14 & ſeq.
c Dan. 3. 79
Expoſitio myſtica.
d Rom. 5. 20
e 2. hexam.
f cap. 3. 7.
Draco rei bonæ vix reperitur ſymbolum.
g lib. 9. c. 32 & l. 20. c. 31
h verb. Draco.
i lib. 5. c. 39. 71. 102.
k verb. Draco.
l verb. Draco.
m Mat. 4. 1. & ſeqq.
n Joan. 3. 14
o cap. 1. 8.
p verb. Draco.
q Pſ. 73. 13.
r Job. 40. 16.
ſ probl. ſcriptur. tom. 6. num. 209.
t Eſa. 6. 3.
u Jacob. 2. 19
x Phil. 2. 10.
y 2. hexam. cap. 4.

Et omnes abyſſi.) De iſta voce dictum alibi, hicque paullò ante veriorem, & communiorem ſententiam eſſe, ut aquarum ſignificet profundiſſimas concavitates, etſi poſſit cavernas quoque terræ ſignificare, intra quas terreſtres dracones recipiunt ſeſe, ſicut intra illas marini. Verum de marinis draconibus etiam potius agitur nunc ut vidimus. Quocirca nec adeo probabilis opinio Bonaventuræ, per *abyſſos* hic aerem intelligi. Abyſſus illa, ſuper cujus faciem erant initio tenebræ *z*, immenſa erat vorago aquarum. Conſiderant porrò Chryſoſtomus, & Euthymius in abyſſis maris, tantaque multitudine aquarum, quod non erumpant ex propriis terminis, non inundent terram vicinam, ſed alligatæ ſit vinculis immobilibus: quamvis adeo inſolentes ſint, & à tantis ſpiritibus impellantur. Plura de mari poſſent afferri, quibus mirifice provocaremur ad laudandam Deum, cujuſmodi ſalſedo eſt, fluxus, ac refluxus, &c. Quid ſint abyſſi ſenſu myſtico, tum locis aliis tum hoc ipſo attigimus, Nam Anaſtaſium Synaitam *a*, retulimus gentes expoſuiſſe tenebris errorum, ac peccatorum coopertas, priuſquam lumine divino illuſtrarentur. C Idem in hujus loci commentario tradit creditus Hieronymus. Hugo à S. Victore *b*, vult per impenetrabiles abyſſos deſignari homines, qui occulta, & myſtica cœleſtis ſapientiæ, & ſcientiæ profunditate, præ ceteris abundant, & quibus datum eſt vel in Sacramentis occulta cognoſcere, vel in divinis judiciis ſecreta profundius inveſtigare. Ipſamet judicia profundiora Dei *c*, Deum laudant, cum homines, inquit Ayguanus, in admirationem divinæ ſapientiæ extollunt, ut quod latro in fine pœnituerit *d* Apoſtoluſque præceſſerit ad regnum; quod Apoſtolus Judas in fine deſperaverit, atque intraverit in æternum ſupplicium, & ſimilia. Haimo interpretatur profundiſſimos in vitiis, qui convertantur ad Deum.

z Geneſ. 1. 2.
Abyſſorū acceptio myſtica.
a 2. hexam.
b ſerm. 69.
c Pſ. 35. 7.
d Luc. 23. 42

Verſ. 8.) Ignis, grando, nix, glacies, ſpiritus procellarum, quæ faciunt verbum ejus.

PErtinent hæc ad aerem, ut aliquanto ante dixi, niſi placeat etiam cum nonnullis, per *ignem* ſphæram ignis D ſupra aerem intelligere, non ſolum igneas meteorologicas impreſſiones. Quæ impreſſiones cum aliis, etſi fiant in aere, tamen oriuntur è terra, unde illuc aſcendunt vapores, & exhalationes, ac igneæ quidem cum ventis materia ſicciore conſtant, vel calidiore, cetera magis humida, & frigida. Quemadmodum vero dixerat prius Propheta Deum *ſtatuiſſe* res illas ſuperiores *in æternum, præceptumque poſuiſſe, quod non præteriret:* ſic meminit modo verbum Dei, ſive juſſionem à rebus inferioribus fieri, & quæ ſunt viliores, magis humano ſtultorum judicio, à DEI providentia, & cura remotæ, minus ratæ, ac certæ, plerumque noxiæ, ut cum homines fulminibus percelluntur, vel vineas adurit grando, vel pereunt ventorum vi navigia, &c. Habent & hæc utilitates ſuas per ſe, nec illa etiam parva, ut adhibeantur, tamquam Dei inſtrumenta puniendi malos, vel corrigendi, bonos admonendi. Plus videtur David hic dixiſſe, quam antea; quoniam ſemel quid ratum, ac fixum conſtituiſſe: videri minus poteſt, quam quod ſubinde ad nutum Dei obediatur à rebus, quæ temere quodammodo gigni, impellique, cenſentur, nec facile comprimi poſſe & coerceri. *Numquid*, inquit Dominus ad Job *e*, *mittes fulgura, & ibunt: & revertentia dicent tibi, Adſumus?* Græcè, *ἄδει, quid eſt*, quid nos vis facere? ecquid eſt: quod agendum reſtet? In Pſalmo quoque 103. *a*, *facere Angelos ſpiritus, & miniſtros flammam ignis*, exponitur non improbabiliter, ventis, & igne uti Deum velut nuntiis, ac miniſtris. Exagitat Auguſtinus hoc loco, & aliis, quos nuper indicavi, ſtultos negatores providentiæ divinæ circa inferiora iſta, ſatisfacit etiam objectioni quod Getulia ſitiat, & in mari pluat: quia in mari piſces currunt ad aquam dulcem, in Getulia ob rariorem pluviam raro quidem, ſed multum frumentum datur, & diu ſervatur, quod ubi ſæpius pluit, ac omni anno provenit, cito corrumpitur. Præterea demonſtrat, quanta in beſtiolis, & rebus quibuslibet eluceat providentia Dei; curque juſtos perire permittat, ſupereſſe injuſtos. Tandem jubet nos ita credere cuncta cum ratione fieri à Deo, licet non percipiamus, ut intrans in officinam fabri ferarii, non audet reprehendere folles, incudes, malleos, quamvis non intelligat, quem habeant uſum, nec habeat peritiam artificis, cui credit. Eadem perſtringuntur hic ab aliis Enarratoribus. Addit Chryſoſtom. juſſu Dei quandoque rem eamdem ſimul contraria perfeciſſe, ut ignem in fornace Babylonica *b*, ubi uſſit, & irroravit. Monet præterea, æque laudandum Deum, & quum punit, & quum à ſupplicio eximit, & quod poſuerit Adam in Paradiſo, & quod quum expulerit gratias item agendas non ſolum pro Regno, ſed etiam pro gehenna: quoniam hanc & fecit, & minatus eſt, ut à vitio liberaret: quemadmodum Medicum non ſolum nutrientem, ſed etiam fame excruciantem; non ſolum in forum educentem, ſed etiam domi alicubi includentem: non ſolum ungentem, ſed etiam urentem, & ſecantem obſervamus, & admiramur. Poſtremo recte annotat per grandinem, & ignem bellis finem impoſitum *c*, à Deo, & liberatos ab Ægyptiis Hebræos *d*: & quod factum eſt hiſce velut inſtrumentis, interdum & per Angelos factum eſſe, ut nemo Angelis tribueret, ſed imperanti Deo. Hoc imperium ſic intelligas perfici à rebus ratione carentibus, quo pacto in præcedenti verſu docebamus, iis legem, ac præceptum imponi. Vocat alibi Auguſtinus *e*, rerum ordinem divino ſubditum imperio, qui ordo lateat nos potius, quam univerſitatis deſit naturæ. Obſervat præterea Doctor Angelicus *f*, verbum quod fieri dicitur, ſumi figurative pro ſignificato, vel effectu verbi, & creaturas dici facere illud, in quantum exequuntur effectum aliquem, ad quem ordinantur ex verbo concepto divinæ ſapientiæ? ſicut aliquis dicitur facere verbum Regis, dum facit opus, ad quod ex verbo Regis inſtigatur.

Senſus loci.
e cap. 38. 35

a verſ. 4.
b Dan. 3. 50
c Joſ. 10. 13
d Exod. 9. 16 29.
e 5. de Gen. ad lit. c. 21.
f 1. p. qu. 34. ar. 1. ad 4.

Ignis.) Pro ſuperiore elemento ſumit Lyranus, Rickelius, Ayguanus, Raynerius, Lodulphus, Martinus Alphonſus, pro ignitis impreſſionibus Græci: ex Latinis Trevetus, Cajetanus, Genebr. Placidus Parmenſis, Peregrinus Herus, Panigarola, Folengius, Valentia, Bocchius, qui vocat *æthereas de nubibus ignes*. Vatablus, *qui fulmina & fulgetra*, Agellius, Bellarminus. Favet Auguſtinus, dicens, quod quo vult Deus, illuc lucet ignis, illuc fertur nubes, ſive pluviam, ſive nivem, ſive grandinem portet: & quod aliquando percutiunt fulmina montem, & non latronem, &c. Contextus magis ſonat ignem mixtum, qui generatur, inquit Cajetanus, in aere, in fulguribus, & tot igneis impreſſionibus, etiam ſi poſſet ſimul admitti ſermonem eſſe de elemento ignis, ut concedunt Valentia, Genebrardus, Placidus; Euthymius, & Nicephorus exprimunt *τὴν ἀστραπὴν fulgur*: Theodoretus *ignem* qui videri poteſt in aere quæ apppellat aſtra, fulgura fulmina, turbines accenſos. Profanis auctoribus uſitatum ſatis, ignem in ea notione ſumere, igneaſque impreſſiones appellare ignes, faces, flammas, lumina, fulmineos, ignes cœleſtes fulminum ignes, tela ignea, tædas, &c. De laudibus ignis plurima ſunt quæ dicuntur: nos nonnulla locis aliis attulimus. Extant quædam apud Plutarchum in Commentario, utrum ignis an aqua ſit utilior; apud Areopagitam *g*, qui nullam rem materialem aptiorem docet ad proprietates divinas illuſtrandum, & apud Iſidorum *h*. Pueri tres inter ea quæ ad benedicendum Domino provocaverunt, ignem cum æſtu conjunxerunt *i*, ſcilicet ignem elementarem cum ſumma ejus potentia, efficaciaque in calefaciendo, urendo, conſumendo: vel cum regione aeris ſuprema, in qua tot igneorum genera corporum gignuntur, vel præter ſphæram ignis proxime ſubjectam Lunæ noſtratem ignem impurum, & mixtum. Iidem pueri fulgura etiam & nubes in Dei benedictione conſociaverunt *k*, quibus quoque de rebus egimus alias. Utile fulgur Euthymius aſſerit, quia pluviæ ſignum eſt, & ſæpenumero etiam ventorum: ſicut & grandinem, nivem, glaciem, ad terræ cultum, ſpiritum procellarum, ut nubes diſſolvantur, aliquando adducantur. Caſſiodorus per Allegoriam, quam vocat (eſt autem magis proprie Tropologia) igni, & ceteris quæ ſequuntur, ait homines ſignificari, qui in hoc ſæculo ex turbulentis & peſſimis, ad devotionis tranquilliſſima ſtudia pervenerunt. Haimo per *ignem* innui vult eos, qui in ardore concupiſcentiarum ſunt. Hugo *l*, Victorinus inſinuari vult illos ſpecialiter, quorum mens per charitatem accenſa ferventius flagrat: charitatem enim eſſe ignem perpetuum, qui numquam debet deficere in altari *m*, Domini: ideſt, in ſecreto cordis humani: præterea illum quem Chriſtus veniſſe ſe dixit mittere in terram, ut accenderetur *n*.

Ignis laudes.
g de cœleſti Hierarc. c. 15
h 19. etym. cap. 6.
i Dan. 3. 66.
k verſ. 73.
Allegoria ſive Tropologia.
l Serm. 69.
m Lev. 6. 9.
n Luc. 12. 49

Grando.) Græcè Χάλαζα Hebraicè ברד *barad*, addita conjunctione ו *ve*, *&*; lege quæ dixi priore Pſalmo *o*. Quia autem grando cadendo verberat, illos ait Hugo Victorinus aperte figurat, quorum ſermo ſeverus eſt, & diſſolutus, ac inquietos aſpere caſtigat, Haimo eos, qui B contundunt ſanctos ſuis tribulationibus, deinde vero convertuntur.

o verſ. 17.

Nix.) De hac dictum *p*, eodem priore Pſalmo. Idem vero Hugo S. Victoris eos myſticè interpretatur, qui per munditiam candent. Haimo frigidos in peccatis, unde poſtea reſurgant.

p verſ. 16.

Glacies.] Appellatur Græcè hic & Pſalmo præcedente *q*, *κρύσταλλος*, & apud Hilarium in genere neutro cryſtallum. Sed Hebraicè dicitur hoc loco adjuncta etiam conjunctione וקטור *ve Kitor* ibi קרח *Korach*. Nomen hujus loci vertunt alii *vaporem*, vel *chauma*, vel *exſpirationem aſcendentem in ſimilitudinem fumi*, vel *fumidum vaporem, & quaſi ſuffitum, & ſuffumigationem: nempe de terra ſurſum tendentem*. Suſpicatur Agellius à 70. lectum כפור *chephor*, quod præcedente Pſalmo *r*, reddiderunt *ὁμίχλην*: & interpres Latinus *nebulam*, alii *pruinam*, quæ vocatur etiam *πάχνη*, & glaciei ſimilitudinem gerit. Quum ſermo ſit de his quæ gignuntur in aere, commodius pruina per *glaciem* intelligitur: quia quæ vulgo intelligitur per *glaciei* nomen in terra ipſa concreſcit. Itaque non hic de vera glacie inC ſtitueretur commode diſputatio, cujus Bochius exempla mirabilia memorat, quum non pertineat ad meteora, niſi quatenus ventis adſtringitur, ut vero humor etiam dicitur quandoque glaciatus in grandines *ſ*, dictum ſatis priore Pſalmo *t*, ſub nomine chryſtalli. Agellius teſtatur legiſſe ſe apud alium interpretem *τυφῶνα*. Sed ex Chryſoſtomo refert ſcholiaſtes tranſlationem pertinentem ad ſequens membrum, quæ habet *Typhones*: quod etiam nomen affinitatem nullam habet cum nomine *κρύσταλλος* aut קיטור *Kithor*. Victorini Hugonis tropologia eſt de illis, qui fluxamentis & carnis ſuæ rigore diſciplinæ conſtringunt. Haimonis de iis, qui frigore ſint infidelitatis congelati, ex quo demum expediantur. Innuit putatus Hieronymus documentum aliud, quemadmodum Dei voluntate quæ inter ſe contraria ſunt, ignis & aqua, in noſtra nativitate concordant, & ſic Deum laudant: ita conſpirandum nobis eſſe, quantumvis diſcrepemus moribus, inſtitutis, conditionibus, ad ejuſdem laudes Dei, atque ſervitutem.

q verſ. 17.
r verſ. 16.
ſ Plin. lib. 3. cap. 16.
t verſ. 17.
Tropologia

Spiritus procellarum.) Hieronym. duas res diverſas exprimens tranſtulit, *ventus, turbo*: ſed exponit Trevetus D de eadem una re, ideſt, de vento qui ſit turbo: prætereaque, quamvis recitet quum conjunctione; *ventus & turbo*: illam notat abeſſe ab Hebr. Textu: ſicut vere abeſt סערה רוח *ruach ſeharah*, quæ verba ſunt in aliis Pſalmis *u*, ubi eſt Latinè *ſpiritus procellæ πνεῦμα καταιγίδος*. Paraphraſtes vertit hoc loco abſque conjunctione etiam ulla עלעולה רוח *ruach hhilhhulah*, *ſpiritus tempeſtatis*, quæ voces extant in Pſalterio vetere, apudque Auguſtinum. In Campenſi lego *ventus & turbo*: item, *ventum turbinem excitans*: in aliis, *ventus turbinis*, *ventus procelloſus*, *ſpiritus procellæ*. Ultima lectio extat apud Hilarium, & in Ambroſiano Pſalt. conſentitque magis cum poſteriore nomine Hebræo, quod eſt numeri ſingularis, ſicut primum, & cum Græcis *πνεῦμα καταιγίδος*. Qui Pſ. decimo *x*, dicitur quoque Latinè *ſpiritus procellarum*, & iiſdem Græcis vocabulis, in textu Hebræo exprimitur per primum nomen loci præſentis רוח *ruach*; ſed alterum eſt plurale זלעפות *zilhhaphoth*, recognoſce commentarium ejus loci ſi libet, *ἀναφυσήματα* Græci ſpiritus illos vocant, ventoſque, qui de terræ hiatibus excitati, in mare inſurgunt cum vi majore id efficiunt, procella fit, quæ ab iiſdem Græcis *πρηστὴρ* nominatur. Quod illo alio Pſalmo dixi ex Ambroſio de

u Pſal. 106. 25
x verſ. 7.

nomine vocabuli *ſpiritus*, pro vento & re creata, cujuſmodi non ſit perſona Trinitatis tertia, quæ vocatus Spiritus ſanctus; traditur etiam ab Athanaſio *a*, Spiritum ſanctum non eſſe creaturam, & à Cyrillo Hieroſolymitano *b*: Hunc ſpiritum procellarum Hugo S. Victoris myſticè ad Spiritum ſanctum refert, qui humanæ mentis cogitationes nunc elevat, nunc humiliat: & ad eos, qui per amorem Deo adhæreſcunt, quoniam *qui adhæret Deo, unus ſpiritus* c, *eſt*. Adde ſpiritum vehementem, conterentem naves Tharſis *d*, juxta myſticum quoque ſenſum: & *ſonum de cœlo factum tamquam ſpiritus, vehementis, & replentem domum, ubi erant diſcipuli ſedentes*, Caſſiodorus explicat per Tropologiam de tempeſtuoſis, & improbis hominibus, qui ad confeſſionis Dei gratiam venire meruerunt, & faciunt verbum ejus. Id Haimo declarat de concitantibus procellas perſecutionum in ſanctos, fugando de loco in locum. Sed qui ad fidem & legem Dei tandem veniant: Arnobius de procellis, quibus imperavit Chriſtus, & quieverunt, de ventis flantibus, quibus præcepit, & ſiluerunt *f*. De ventis & eorum commodis naturalibus, nec non de myſtica ipſorum varia ſignificatione nonnihil diſſeruimus, & in hoc, & in aliis hinc inde operibus. Legendus Seneca *g*.

a ad Serap. b Catech. 16. c 1. Cor 6. 17. d Pſal. 47. 8. Senſus myſticus. e Act. 2. 2. f Mat. 8. 26. 28. c. 14. 30. g 5 natur. quæſt c. 10.

Quæ faciunt verbum ejus.) Hieronymus, *quæ facitis ſermonem ejus*; potuit in tertia perſona transferre, quum ſit participium, quod quia numeri ſingularis eſt עשׂה *hhoſe*, ſumſit collectivè aut pro vento ac turbine, quæ proxime ante diſtinctè poſuit ut duas res, aut pro aliis etiam rebus recenſitis verſu hoc toto & priore. Alienior videtur Campenſis translatio, *factura verbi illius*: quaſi hic ſignificetur non quod res iſtæ faciant verbum Dei, ſed quod verbo ipſius factæ ſint. Legit Hilarius: *quæ faciunt verba ejus*: Ambroſianum Pſalterium: *qui faciunt verbum ejus*: Græcè τὰ ποιοῦντα in genere neutro. Quo autem pacto facere verbum Dei, & obedire Deo intelligantur, intelligendi vi privatæ res, ante docuimus; & quare de hujuſcemodi rebus potius id nunc affirmetur, quæ nimirum concitatiores ac minus capaces obedientiæ videntur, magis etiam nobis noxiæ, ac proinde haud ita aptæ ad laudandum Deum bonum. Non ſolum non ſunt res omnes animatæ, ac ratione præditæ, ut percipere valeant præceptum divinum, ſed nec opus eſt interpretari, quum Deus legitur imperare talibus rebus ratione deſtitutis dirigi imperium ejus ad Angelos ipſis præpoſitos. Quamquam concedi debet Angelos malos concitare interdum procellas, & alias clades Deo permittente, aut etiam præcipiente, ut merito exorciſmis adverſus illas, illoſque utatur Eccleſia, ut alias dixi. Fecerunt verbum Chriſti procellæ ac venti, non minus cùm navem agitarunt, in qua ipſe erat cum diſcipulis, quam quum conquieverunt eodem imperante *h*, ut prius cum Arnobio dixi: Eadem ratio de navi, in qua erat Jonas *i*. Explicat hoc egregia collatione Chryſoſtomus *k*, in qua ſimilem facit immiſſam tempeſtatem fideli mancipio, qui ſervum fugo lapſum perſequitur, nec ante derelinquit, niſi eum præſentaverit Domino. Fatendum eſt præterea peculiari quadam ratione tales res auctori DEO attribui ad ejus potentiam clarius exprimendam, ſicut quum ſcribitur in lib. Job *l*, quod *facit Arcturum, & Oriona, & Hyadas, & interiora Auſtri*, quoniam rapidiſſimi venti tempeſtateſque ſæviſſimæ concitantur quum ſidera iſta exſurgunt, vel vires ſuas contemperant cum aliis *m*. Hanc vim quoque majorem vocant *n* Græcè θεῦ βίαν, quam providere conſilio ſuo, vel vitare homines nequeant quum DEUS animadvertere in illos decrevit. Obſervavit id ex Juris Conſultis, Cajo *o*, & Ulpiano *p*, Pineda *q* noſter. Ulpianus Servium recitat, putantem ſi ex ædibus promiſſoris vento tegulæ dejectæ damnum vicino dederint, ita eum teneri ſi ædificii vitio id acciderit, non ſi violentia ventorum, vel qua alia ratione quæ vim habet divinam. Cajus vero ſcribit ad hunc modum. Vis major quam Græci θεῦ βίαν appellant, non debet conductori damnoſa eſſe, ſi plus quam tolerabile eſt, læſi fuerint fructus, &c. Solent Græci, ait Alciatus *r*, tempeſtates procellas, ſimiliaque mala divinæ iræ adſcribere, Dalecampius *ſ* profert de ſimili dicendi formula teſtimonia Ciceronis *t*. & Senecæ *u*. Auctor libri Sapientiæ *x* nominat πνευμάτων βίας *ventorum violentias*. Amos *y* creationem ſpirituum aſſignat DEO. Jonas *z* miſſionem venti magni in mare, unde tempeſtas magna orta eſt. In alio Pſalmo *a* habetur quod *dixit ſtetit ſpiritus procellæ, & exaltati ſunt fluctus profundi* ſeu *maris*. Rurſum *b* quod *ſtatuit procellam in auram & ſiluerunt fluctus ejus*. At reciprocum eſt; ſi naturæ ordinem ſpectemus, aliquid eſſe à DEO factum, opuſque illius eſſe, & id ejuſdem verbum ſive præceptum facere: quod eſt naturæ conſentanee operari, & ad opificis præterea nutum omnem obtemperare. Sic *exquiſita opera DEI in omnes voluntates ejus* c: Chryſoſtomus *d*, interpretatur prolato præſenti etiam loco. Non ſolum, inquit, ea peragunt, ad quæ conſtituta ſunt, ſed etiam ſi juſſerit contraria, hic quoque magna eſt obedientia. Exemplis confirmavit ignis non attingentis pueros *e*: leonum non lædentium Danielem *f*, ceti conſervantis Jonam *g*: terræ, quæ ſeſe ad abſorbendos rebelles aperuit *h*. Ceterum quoniam faciunt verbum Dei calamitates & immiſſiones per Angelos malos *i*, nihil obſtat quo minus res quoque hujus generis aſſeramus hic propriè intelligi, quæ invitentur ad laudes Dei, & verbum illius facere cenſeantur. Moraliter autem accipi poſſunt, improbi, videlicet per Dracones malitioſi, per *abyſſos* ſubdoli, per *ignem* cupidi, per *grandinem* Perſecutores, per *nivem* hypocritæ; per *glaciem*, obdurati, per *ſpiritum procellarum* turbantes ac turbidi: quos omnes, inquit Hugo Victorinus, ad laudem DEI Pſalmiſta vocat, dum in his verbis, ut ad bonum de malo convertantur, eos ſubtiliter invitat. Arbitratur idem tamen melius eſſe, ut boni per hæc omnia ſignificentur, propter iſta verba *quæ faciunt verbum ejus*: quia boni abſque dubio verbum DEI faciunt, quoniam præceptis Dominicis obediunt. Repeti hic poteſt Ethicum documentum, crediti Hieronymi jam diu ante traditum; ne contumax DEI ſit homo præceptis, quum res minimæ tam promtæ pareant nutibus illius. Quo minus mirari debuerunt Porphyrius: Julianus Apoſtata, & ſimiles, quod adeo facile, citoque diſcipuli vocantem Chriſtum ſint ſecuti, ut verus Hieronymus *k* annotavit. Imitanda obedientialis potentia rebus indita ad agendum, patiendum, recipiendum, ut quod neceſſitate inevitabili contingit in ipſis, in nobis à libera proveniat voluntate, quam expetit Deus, & expectat.

h Mat. 8. 26. 28. c. 14. 30. i Jon. 1. 15. k homil. de Jona to. 1. l cap. 9. 9. m Plin. l. 2. c. 39. l. 8. cap. 28. n idem l. 18. cap. 28. o D. locati conducti lib. 2. § 6. p D. de damno infecto l. 24. § 4. q in Job 9. 9. num. 9. r 1. præter. miſſ. ſ in Plin. l. 18. c. 28. t pro Planc. u 4. de benef. x cap. 7. y cap. 4. z cap. 3. a Pſ. 106. 25. b verſ. 29. c Pſ. 110. 2. d ibid. e Dan. 3. 56. f cap. 6. 22. c. 14. 39. g Jona 2. 1. h Nu. 16. 18. 31. 32. Pſal. 105. 17. i Pſ. 77. 49. k in Matth. cap. 9.

Verſ. 9.) Montes & omnes colles, ligna fructifera, & omnes cedri.

Senſus loci.

HÆ ſunt reliquæ res in ſerie inſenſibilium, vel etiam penitus inanimatarum. Montes & colles anima carent, vivunt dumtaxat vegetativa vita ligna fructifera, & cedri, tres pueri ad benedicendum Domino advocaverunt terram, montes, colles, univerſa germinantia in terra *l*. Memini alibi de his omnibus dicere phyſiologicè, & myſticè, & utrum ab ipſo mundi exordio montes extiterint, colleſque. Utilitatem ex montibus percipi Bruno notat, & ex collibus, quia in eis meſſes ſunt & vineæ, unde homines aluntur, & potantur ex lignis fructiferis, ut eorum fructibus reficiantur: ex cedris, & alii arboribus ſterilibus ut domos ædificent, & ad alios uſus adhibeant. Idem de montibus & lignis infructiferis ad domos & naves, obſervant Græci, & ipſam eorum per ſe admirandam Theodoretus magnitudinem attendit. Miratur Gregorius *m*, ab uno grano ſeminis immenſam ſurgere arborem, in tanta unius grani parvitate, & pene nulla ſui ſimilitudine latere ligni duritiam, ligno teneriorem medullam, aſperitatem corticis, viriditatem radicis, ſaporem fructum, ſuavitatem odorum, diverſitatem colorum, mollitiem foliorum. Hoc argumentum omne Pererius eleganter tractat tum in Danielis commentario trium puerorum Canticum enarrat, utilitates montium enumerat, ad decorem terræ mundiq; ad aeris ſalubritatem, fertilitatem ſoli, maturitatem fructuum, coercendos ac frangendos maris impetus, ventorum furorem refrenandum; præterea ut inde fontes ac flumina ſcaturiant, & quædam ibi arbores & animantes generentur, paſcantur, verſentur, quæ non ſolent alibi; ut Provincias, nationes, Regna deſterminent, mutuaque bella & vexationes impediant. Arborum porro varietatem multiplicem contemplatur, domeſticarum, & ſylveſtrium, plane ſterilium, ſemen ſolum ferentium, & quæ præterea fructum producunt: deinde ſexum quendam habentium; certam ſoli ſeu terræ partem amantium; diverſo radicum modo præditarum, corticum, foliorum, florum, fructuum: ad hæc diverſas umbras projicientium: poſtremo diſcrepantium ævi duratione. Nec inveriſimile mihi nominatim provocatas hic etiam arbores ad laudem Domini, propter veterem ſuperſtitionem circa arbores, quas nominibus idolatræ certis certas dicabant, ut Minervæ oleam, myrtum Veneri, Herculi populum, laurum Apollini, Jovi eſculum. Unde lucorum proceſſit uſus, uſque etiam ad Hebræos infectos contagio falſæ Religionis, ut in iis colerentur ficti Dii. Legantur Plinius *a*, Thucydides *b*, Maximus Tyrius *c*, Sulpitius *d*, Cerda *e* noſter; qui hos auctores profert, In Æſopiis vero Phædrus Auguſti libertus cecinit;

l Dan. 4. m 6. mor. c. 6 vel 8. Montium utilitates.

Olim quas vellent eſſe in tutela ſua
Divi legerunt arbores. Quercus Jovi,
Et myrtus Veneri: placuit Phœbo laurus.
Pinus Neptuno: populus celſa Herculi.
Minerva admirans quare ſteriles ſumerent,
Interrogavit cauſam, dixit Jupiter.
Honorem fruſtra ne videantur vendere:
At me Hercules, inquit, quod quiſque voluerit,
Oliva nobis propter fructus gratior.
Tunc ſic Deorum genitor, atque hominum ſator;
O nata merito ſapiens dicere omnibus,
Niſi utile eſt, quod facimus, ſtulta eſt gloria.

Spectant eodem Sylvani, Fauniq;ue, & Dearum genera in ſylvis ſua numina, tamquam & cœlo attributa, ut ſcribit Plinius *f*, Addi Alexandrum Neapolitanum cum optimo Scholiaſte Tiraquello *g*. Addunt hi ſacrum Baccho hederam, Pani pinum, cupreſſum Diti, & nonnullas ex dictis vendicatas ab aliis Diis: preterea ſcribunt *h* habitas ab Indis maxime arbores pro Diis, quas ferro violare capitale eſſet, quod ex Curtio *i* tranſcriptum eſt. Eadem de re ante iſtos Rhodiginus *k*, prodidit. *Montes* Tropologico ſenſu Caſſiodorus accipit pro hominibus, præ tumida poteſtate ſublimibus: *colles* pro mediocribus, æqualitate, tractantibus: *ligna fructifera*, qui ex duritia peccatorum converti, fructus morum intulere dulciſſimos; *cedros* qui abſolute ſuperbi ſunt, & elati. In Hieronymianis commentariis admonitio eſt, ut invitimus ligna fructifera, fructus Deo pariendo, & cedros, nitendo ad alta, & ire in cœlum feſtinando. Hugo S. Victoris *m* conſolatur nos, ut ſi eſſe montes, ideſt, perfecti non poſſumus, colles eſſe contendamus, quia *imperfectum* etiam *vident oculi DEI*, hoc eſt, approbant, *& in libro ejus omnes deſcribentur* n, ideſt, imperfecti quoque ſalvabuntur, nec enim ſcribuntur & in numero ponuntur, niſi qui aliquid & aliqui ſunt; & omni habenti meritum (etiam parvum) dabitur (premium quamvis item parvum.) Eucherius in formulis, & alii paſſim *montes* de Sanctis majoris meriti, *coles* de ſanctis minoris interpretantur. Addit Pampolitanus hoc loco *ligna fructifera* eſſe conjugatos, qui faciunt fructum trigeſimum; *cedros* contemplativos, qui in altitudine amoris & contemplationis eriguntur, & imputribiles ſunt, ideſt, ſine corruptione mentis. *Ligna fructifera*, idem Hugo exponit vitalis doctrinæ fructum ceteris conferentes; *cedros*, qui contemtis terrenis, ad cœleſtia ſperanda ſe ſublimiter erigunt. Ayguanus conſiderat ſuperbos poſt converſionem laudantes Deum & qui *tacti fumigant* o, eo modo præterea in *fructuoſis arboribus* illos, qui ſe ſemper in bonis fructibus operum, Deique laudibus occupant; in *cedris*, bonos Prælatos. Academiæ Pariſienſis Cancellarius Philippus Grevæus *p* contemplatur hic invitari contemplativos per *montes*; per *colles* ſpeculativos; per *ligna fructifera* conjugatos: per *cedros*, Virgines. Contemplativos ait eſſe, qui abſque umbrarum velamine, veritatem vident in ſua puritate: ſpeculativos, qui per ſpeculum cernunt: ſponſum ſaliiſſe in montibus, colles tranſiliiſſe *q*, *montes ut arietes exultare, colles ut agnos* r. Conjugatorum triplicem fructum diſtinguit, fidei, prolis, ſacramenti. Cedris Virgines facit ſimiles, propter odorem & incorruptionem. Chryſoſtomus *ſ* perpendens quod Chriſtus dixit de liliis agri, quæ veſtimentorum Salomonis elegantiam & pulchritudinem ſuperant *t*, attollere nos mentem jubet, quanta inde laus proveniat DEO, atque præterea ex lignis fructiferis & cedris, quorum hic mentio fit: alia quippe, ait, de fructu, alia de magnitudine, alia de decore laudem Creatori videntur emittere. Sed & maximas deſignare divitias divinæ docet, ſapientiæ, quando etiam in res adeo viles tantum decoris effudit; ut nobis vero argumentandum, quod multo nos omnibus aliis rebus honoratiores in his, quæ ad uſum noſtrum pertinent, honorabit. Verum progrediendum ulterius, ut intelligamus longe etiam à nobis majorem DEI honorem exigi, & laudem. Id hoc loco creditus urget Hieronymus, ut pridem antea vidimus. Procopius *u*, explanans minas illas DEI apud Eſaiam *x*, contra *omnem ſuperbum excelſum, arrogantem, & ſuper omnes cedros Libani ſublimes, & erectas, & ſuper omnes quercus Baſan, & ſuper omnes montes excelſos, colleſque elevatos, & ſuper omnem turrim excelſam, murum munitum, naves Tharſis, omne, quod viſu pulchrum eſt, & ſuper ſublimitatem hominum, ac altitudinem virorum*; docet, myſticè tum bonas, tum malas res per hæc omnia ſignificari poſſe: atque hoc quidem loco ſumi in meliorem partem, in Eſaia, & locis aliis in malam. Nos ipſi, ut initio admonui, hac de re alibi diximus.

a l. 12. cap. 1. b lib. 6. c Serm. 38. d Vit. Martini c. 10. e in Virgil. Æn. 3. v. 19 annot. 3. f lib. 12. c. 1. g l. 4. c. 17. h lib. 6. c. 26 i lib. 8. k lib. 12. c. 1 lib. 38. c. 32. Senſus Tropologicus. m ſerm. 69. n Pſ. 138. 16. o Pſ. 143. 5. p ſerm. 328. q Cant. 2. 8. r Pſ. 113. 6. ſ hom. 23. in Matth. t Matth. 6. 28. 29. u in Eſ. c. 1 c. 2. 12. 13 x 4. 15. 16. 37

Montes, & omnes colles.] Plures ſunt colles, quam montes, idcirco fortaſſe *omnes colles* potius dixit, quam *omnes montes*. Sed obſtat, quod ſequenti membro cùm lignis fructiferis exprimuntur *omnes cedri*: niſi dicas, per *cedros* intelligi infructiferas alias arbores, quæ ſunt plures, quam fructiferæ. *Montes* putat Agellius Hebr. הרים *harim* dictos, quaſi gravidos, concipienteſve, eo quod metallis tumeant: propterea in Deuteronomio *y*, dici, quod *de montibus aeris metalla fodiuntur*. Radix non eſt הרה *harah*, *concipere*, ſed הרר *harar*; aliudque alii etymon tradunt, perinde ac ſi affinitatem habet cum מהר *mahar*, vel נהר *nahar*. & ita dicatur à feſtinatione, quod feſtinus deorſum feratur, fontes etiam, fluminaque præcipitans deorſum. A conceptione poſſent colles, valles, campi, in quibus variæ fodinæ ſunt eodem nomine Hebræo appellari. Non ſunt ſemper ἔτυμοι etymologiæ, aut ne hoc quidem homine dignæ, quando quod ſuomet vocabulo præ ferunt, vere non ſunt. De myſtico uſu montium, colliumque dictum prius. Haimo magis & minus ſuperbos, qui humiles evadunt, exponit.

y cap. 8. 9.

Ligna fructifera.) Hieron. in ſingulari, *lignum fructiferum*, עץ פרי *hhets peri*, *lignum fructus*, vel *arbor fructifera*, collective pro pluribus. Eodem pacto Hebraicè nominatur in Geneſi *z*, quod Latinè *lignum pomiferum*, Græcè ξύλον κάρπιμον. Simili modo deſcribitur in Pſ. primo *a*. *Lignum dans fructum in tempore ſuo*. Eo loco Geneſis, Baſil. Procop. & alii, comprehendi volunt ſub pomifero, ſeu fructuoſo, frugiferoſve ligno, id etiam, quod non fert fructum, tamquam ſub nobiliore ignobilius, quamquam nec ſuo quoque quodam fructu caret, quod infructiferum dicitur, ut ibidem notant Ambroſ. *b*, & Auguſtin. *c*. Quibus non eſt fructus uberior, ait prior, tamen uſus pretioſior eſt: poſterior docet, etiam in talibus cenſeri, ac dici ſolere uſumfructum, quoniam utilitas quædam fruentium in *fructus* nomine conſideratur, Myſticè ligna fructifera fructum bonorum operum reddentes denotari monuimus.

z cap. 1. 11. a verſ. 3. b l. 3. hexa. cap. 13. c 3. de Gen. ad lit. c 18.

Et omnes cedri.) Cur & hic addatur *omnes*, ſicut priore membro ad *colles* ibidem dixi: necnon quod ſub *cedris* contineri ceteræ arbores infructuoſæ intelligantur, Sed tamen ſuſpicor nullam vim peculiarem eſſe in ejuſmodi additione: quoniam Pſ. octavo *d* poſt *oves* exprimuntur *boves univerſæ*: & hic ſequenti verſu poſt *beſtias univerſa pecora*. De cedris non ſemel alias actum. Nominatus paullò ante Ambroſius cedrum ſcribit ſuſpendendis tectorum aptam culminibus eſſe, eo quod hujuſmodi materies, & procera ſit ſpatiis, nec oneroſa parietibus, lacunaribus quoq; commendatiiſque faſtigiis habilem cupreſſum. Citat ex Cantico *e*, *Trabes domorum noſtrarum cedri, lacunaria noſtra cupreſſi*. De ſpinis, ac tribulis qui vellet diſputare, hic poſſet. Odorem ſpiritualium virtutum in ſe habentes Haimo, & alii hic ſenſu myſtico ſumunt, ut prius notatum eſt. Cedro digna loqui, vel ſcribere, & cedro dignum quid eſſe per parœmiam, indicat non interituram, ac perpetuam rei memoriam, ut hoc etiam loco Trevetus notat.

d verſ. 8. e cap. 1. 17. Cedro digna loqui, vel ſcribere quid.

Verſ. 10.) Beſtiæ, & univerſa pecora, ſerpentes, & volucres pennatæ.

Senſus loci.

SEquuntur animantia in hæc genera diſtincta eorum, quæ morantur in terra, nempe in magis vaſta, & ſylveſtria, in Urbana, ſeu domeſtica & mitiora; in ſerpentia, ſive repentia ſuper terram: in volatilia, quæ ſeſe in aerem attollunt è terra. Putat Agellius nomine *ſerpentum* intelligi etiam piſces, qui ſerpunt, ac repunt in aquis, non tantum animalia, quæ quod eodem modo moveantur in terra, *ſerpentum*, aut *reptilium* vocabulo abſolute appellantur. Valeret ratio, niſi antea ſub *dracone* ſatis fuiſſent comprehenſi: & niſi alibi, ut in Geneſi *f*, *reptilis* nomen ex adjunctis limitaretur ad ea, quæ in aquis repunt, nunc quæ in terra. Pueri tres cantantes in fornace, volucres cœli, beſtias, & pecora invitaverunt ad benedicendum Domino *g*. David in alio Pſalmo *h* ſubjectas recenſuit ſub pedibus hominis *oves, boves, & pecora campi, volucres cœli, piſces maris*. Traditum quoque homini eidem dominium

f c. 1. 20. 14. g Daniel. 3. 89. 81. h Pſ. 8. 8.

a cap. 1. 28.

nium Geneſis a teſtatur liber, *piſcium maris*) ſine dubio & aliarum aquarum) *volatilium cœli, univerſorum animantium, quæ moventur ſuper terram*. Rurſus poſt diluvium juſſit Deus *terrorem hominum, ac tremorem eſſe ſuper cuncta animalia terræ, omnes volucres cœli, cum univerſis, quæ moventur ſuper terram*, omnes etiam *piſces maris manibus eorum tradidit* b. Eſt igitur quædam peculiaris ratio, cur hæc homo advocet tamquam chorus cantorum ſuorum, ad laudandum communem Dominum. Sed cavendum diligentius, quam circa prius enumerata, ne quis rationem putet iſtis ineſſe, propter quam ad laudes Deo dandas invitentur. Sunt propria ἄλογα omnia, omnique rationis, & diſcurſus, atque prudentiæ facultate carentia, ut philoſophicè alias demonſtratum eſt, contraque Plinium probat Rhodiginus c. Ut rationis nonnihil eis concederetur, (nihil equidem veræ rationis conceſſerim) nullo modo capaces eſſe animantes, ut colant, venerenturque cœleſtia. Suum Homerus Ulyſſem commendavit, & quod mente ornatus foret, & quod coleret Deos. Si Deum dicas, utrumque omni homini inſitum, de brutis affirmare poſſum univerſe, quod Virgilius d de corvis:

b cap. 9. 2.
c lib. 7. c. 25.
d Georg. 1.

Haud equidem credo, quia ſit divinitus illis
Ingenium, aut rerum fato prudentia major.

Pro fato repone providentiam Dei, ingenitamque ſingulis vim certam ab eo naturalem, quæ pro modulo ſuo, ut pridem dixi de ceteris etiam inanimatis, laudat DEUM. Qua ratione magno Theodoro, quem citat Rhodiginus, dari poteſt quidquid omnino eſt, excepto uno nimirum Deo, adorare item, atque vovere. Digreditur hic eleganter, & eloquentia ſumma Chryſoſtomus, ut demonſtret, quantas ex feris etiam, & venenatis animalibus commoditates capiamus. Metum afferunt, inquit, utque modeſtus, & temperatus ſis, efficiunt; ad certamen inſtruunt: peccatum primi parentis in memoriam redigunt, oſtenduntque, quantorum malorum cauſſa ſit inobedientia, quum eſſent antea feræ, quæ nunc dicuntur cicures, & manſuetæ, ſicut fuerunt erga illos etiam poſtea, qui ad antiquam reverſi ſunt imaginem, ut erga Danielem e, & Paulum f. Præterea providum DEI conſilium, & conſtitutionem in iiſdem conſiderat, quod ipſis aſſignaverit ſolitudines, & quando nox eſt, atque dormimus, pertranſeunt omnes beſtiæ ſylvæ g: Ita ut tamquam ſervæ relegatæ ſint, & niſi tu eas invaſeris, eæ te non invadant. Subdit, ſi quis recte ſe geſſerit, nullum ab iis damnum accipere; quod ſi nonnullum accipiat, cogitandum ei eſſe ſæpe multo majus ab hominibus provenire, quoniam homo quavis fera deterior eſt, ſub perſona humanitatis celans improbitatem. Quin etiam docet ne diabolum quidem nocere poſſe ſapienti, ſed potius quum nocere vult, juvare, milleque coronarum occaſionem dare; quemadmodum dedit Jobo h. E contrario affirmat negligentem ab iis quæ in ipſo ſunt elementis pati damna longe graviora, ut à bile, pituita, & ſimilibus: præterea à paſſionibus, quæ tamen ad moderationem redactæ, non mediocriter proſunt. Unde poſtremo colligit lædi quoque à ſeipſo, & à libero arbitrio ſuo. Eadem perſtringit is quem nominant Baſilium, & Euthymius, noſque ipſi meminimus jam antea in hoc eodem Pſ. Legatur item Auguſt. qui contra Manichæos docet in opere de Dei civitate i, ignem, frigus, feram beſtiam, & alia hujuſmodi, in ſuis locis naturiſve vigere, pulchroque ordine diſponi univerſitatem rerum pro ſuis portionibus decoris non parum, tamquam in communem Rempublicam conferre, vel nobis ipſis ſi eis congruenter, atque ſcienter utamur; commoditatem non exiguam attribuere, ita ut venena ipſa, quæ per inconvenientiam pernicioſa ſunt, convenienter adhibita, in ſalubria medicamenta vertantur, ſicut à contrario, etiam bona quibus delectamur, ſicut cibus & potus, & iſta lux, immoderato & importuno uſu noxia ſentiuntur. Unde, inquit, nos admonet divina providentia, non res inſipienter vituperare, ſed utilitatem rerum diligenter inquirere, & ubi noſtrum ingenium, vel infirmitas deficit, ita credere occultam, ſicut erant quædam quæ vix potuimus invenire, quia ipſa utilitatis occultatio aut humilitatis exercitatio eſt, aut elationis attritio. Hæc magnus ille Doctor. Suppetunt in hiſtoriis Sacris & Eccleſiaſticis, ut profanas omittam, in quibus ars & ludibrium dæmonum eſſe ſuſpecta poteſt, exempla non pauca omnis generis beſtiarum, quæ Dei vel hominum Dei, vel Angelorum juſſiones executæ ſunt. In ſacris quidem & divinis libris memo-

Ex feris venenatiſque animalibus utilitates non parvæ.
e Daniel 6. & 14.
f Act. ult. 6.
g Pſ. 103. 20
h Job 1. & 2
i lib. 11. c. 22

Arantur aſinæ k, leones l, corvi m, boves aut vaccæ n, viperæ o, urſi p, cete q, piſces alii r. Juxta Tropologiam Hugo de S. Victore ſ, *beſtias* ſylveſtres ad ſolitariam degentes vitam; *pecora* ad ſocialiter viventes cum aliis applicat; *ſerpentes*, ad eos qui prudenter in activa vita verſantur; *volucres pennatas* ad contemplativos, quique pennis virtutum ad cœleſtia contemplanda ſe ſublevant. Caſſiodorus in *beſtiis* attendit crudeles atque indomitos, in *pecoribus univerſis*, univerſam, communem & infinitam plebem in *ſerpentibus*, venenoſos & callidos, in *volucribus pennatis* philoſophos, qui cogitationum ſuarum velocitate naturas rerum diſcurrere conſueverunt, de quibus, inquit, omnibus generibus hominum Chriſtus ſibi electos parat, qui in illa Reſurrectione Angelorum poſſint cœtibus aggregari. Pampolitanus vocat crudeles, voluptuoſos; venenoſos qui malis perſuaſionibus nocent; ſuperbos, qui ſupra alios volare contendunt, deſideriis vani honoris ſe levantes, qui omnes invitentur ut converſi Deum laudent. Haimo in primis agnoſcit rudes & imperitos; in ſecundis, manſuetos; in tertiis, venenatos & hæreticos; in ultimis
B philoſophos habentes diverſorum librorum pennas, per quas volare dicantur, ideſt, aliis excellentiores eſſe, ſed per gratiam ex his electi laudent Dominum.

k N. 22. 27. 28.
l Dan. 6. & ult. 3. Reg. 13. 24.
Tropolog.
m 3. Reg. 17. 4. 6.
n 1. Reg. 6. 12.
o Act. ult. 20.
p 4. Reg. 2. 24.
q Jon. 2. 1.
r Matt. 17. 27. Luc. 5. 6. Jo. 21. 6.
ſ Serm. 69.

Beſtiæ.] In cantico trium puerorum t, *benedicere* jubentur *Domino omnes beſtiæ*; præponendo nomen univerſale ante *beſtias*, quod hic proponuntur ante *pecora*; quamvis Græcè illud ibi eumdem ordinem habeat, quem hoc loco τὰ θηρία, καὶ πάντα τὰ κτήνη. Sunt autem θηρία proprie *beſtiæ venenatæ*, ut indicat contra venena ex venenatis confecta Theriaca, & *beſtiam* dici volunt Latine quaſi *vaſtiam*, id eſt, vaſtam, & vaſtatricem. Hebræum חיה *chajiah*, quod hoc loco in ſingulari numero pro multis ponitur, ſignificat quidem univerſe quodvis animal ἄλογον, eo modo quo ζῶον & animal accipitur abſolute, ſed accipitur ſpecialiter pro fera, eo quod in hac ſit magna quædam vivacitas, & veſcatur animalibus ſeu aliorum animalium carnibus, ea diripiendo & dilacerando, & diſtinctio & antitheſis cum pecoribus innuit diverſitatem; alioquin confunduntur hæc vocabula, beſtiaſque. Cicero u, etiam de piſcibus, & volucribus uſurpavit: & interdum beſtias manſue-
C tas appellari reperimus. Damnari autem vel dari, vel pronuntiari ad beſtias, vel illis objici, ſubjici, apud Juris Conſultos, & Hiſtoricos, alioſque de feris ac ferocioribus animalibus intelligitur. Has produnt ſæpenumero Eccleſiaſticæ hiſtoriæ, teſtaturque ſcribens Romanis Ignatius, optans non perinde ſecum agi, divinitus manſuefactas & cohibitas ne martyres ullo pacto læderent. Quod divinæ laudis genus eximium ſane fuit. Erant vero etiam beſtiarii, qui depugnabant cum beſtiis in ludis publicis; qui ipſi ludi vocabantur quoque beſtiarii, depugnabant noxii & malefici ſeu fugitivi, & captivi, ad cultrum damnati, vel feris objecti. Objici ſummum erat ſupplicium, ac plerumque cum alligatione ad ſtipitem; qui dabantur, ſi beſtiam viciſſent, certamine victoriaque expiabant crimen. Nonnulli mercede locabant operam ad depugnandum: aliqui virtutis cauſſa. Hoc obiter; plura Raderus noſter x, & Bullingerus y.

t Dan. 3. 81
Nominis beſtiæ notio.
u Tuſc. 5.
Ludi beſtiarii.
x in Matt. l. de ſpectac. epigr. 14. vel 15.
y de circ. c. 25.

Et univerſa pecora.] Hieronymus, *& omnia jumenta*. Nomen בהמה *behemah*, quod collective quoque hic ſumitur quum adjungitur poſt præcedens חיה *chajiah*, pro
D *fera* ſolet ſignificare *animal manſuetum, gradiens ſuper terram*. In Pſalmo octavo z, poſt *oves & boves*, *pecora campi* nominantur בהמות שדה *bahamoth ſadah*, τὰ κτήνη τοῦ πεδίου. Pete ex eo loco quæ huc faciunt.

z verſ. 8.

Serpentes.) Hieronym. *reptilia*, numero unius רמש *remeſch*. Felix vertit quoque *mobile*, ſeu *motabile*. Prius docui ſola per terram ſerpentia ſeu repentia animalia intelligi, non vero nantia in aquis piſceſve. De amphibiis ut libet quiſque ſentiat cum Genebrardo. Communior eſt opinio de terreſtribus reptilibus, quam videmur ſatis antea probaviſſe. Apollinarius juxta eamdem ſententiam hæc complexus eſt pro beſtiis, pecoribus, ſerpentibus.

Τετραπόδων ἀγέλαι, καὶ ὀρέστερα θηρία γαίης
ἑρπετά, καὶ πτερόεντα μεταίσσοντα πετεηνά.
Quadrupedum greges, & monticolæ beſtiæ terræ
Reptilia & pennis exſilientes volucres.

Et volucres pennatæ.) Hieronym. *& aves volantes*; Hebraicè numero ſingulari collectivè ſumto וצפור כנף *vetſippor chanaph*, *& avis pennæ*, ideſt, pennam habens, penna prædita, pennata, alata. In ipſo vocabulo Latino *volucrum* volatus includitur, ac proinde, pennæ ſive alæ, eodemque

pacto

pacto in Græco πετεινῶν: tamen additum eſt epithetum *pennatarum*, & πτερωτῶν per ἐπίτασιν, ad majorem ἐξήγησιν, ideſt, expreſſionem: non quod, ut Remigius, & Bruno volunt, aliud ſit volucres eſſe, aliud pennatas, & ad volandum potentes.

Verſ. 11.) Reges terræ, & omnes populi, Principes & omnes judices terræ.

Verſ. 12.) Juvenes, & Virgines, ſenes cum junioribus laudent nomen Domini.

Verſ. 13.) Quia exaltatum eſt nomen ejus ſolius.

Senſus loci.

Diſtributio verſuum ut eam poſui, extat nunc in emendatis Bibliis, quum in aliis & apud Hieronymum, & apud Hebraizantes, initium decimi tertii ſumatur à verbo, *laudent*. Eſt autem ſenſus, ut poſtremo loco poſt aliarum rerum genera, omnium nobiliſſimus homo qui etiam poſtremus creatus narratur, tamquam aliarum rerum Dominus, & contemplator, ut hoc loco Theodoretus inſinuat, & aperta obſervat Bonaventura, ad laudandum Dominum communem invitetur ex omni ſtatu, ſexu, ætate, hoc eſt, tum ſuprema pollentes poteſtate Reges ac Principes, & qui ab his auctoritatem regendi judicandique acceperunt inferiores magiſtratus, tum ſubditi; præterea tum viri & fœminæ: poſtremo tum ſenes & juniores conſtantes ætate. Quemadmodum vero ex ordine cœleſtium primi Angeli evocati ſunt initio Pſ. tum ex ordine luminarium Sol, ex ordine piſcium Dracones, ſive ceti; ſic nunc ex ordine hominum primo loco invitantur Reges. Cauſſa redditur quare debeatur ab his omnibus laus, atq; ab enumeratis antea rebus ratione carentibus, quoniam Domini nomine, Dominoque ipſo nihil excelſius digniuſque, ita ut ſolus magni & excelſi mereatur appellationem, ſolus cenſendus ſit altiſſimus; cetera cum ipſo comparata, non modo parva & exigua ſint, ſed pene nihil; & ſi quid magnitudinis aut excellentiæ habeant, à Domino ſolo totum acceperint, idque etiam ab ejuſdem providentia & conſervatione prorſus pendeat. Quapropter nullus alius præter illum unum ſolum & verum Deus, Deus eſt; cui honorem & gloriam abſolute deferre oporteat; idem vero ipſe tantus, & tam auguſtus & eximius eſt, ut nulla ei par afferri laus, ne dum major poſſit. Illi ſubdi omnes neceſſe eſt, qui non doteſt humiliari: immo eidem; qui quum non poſſet ab alio, humiliare voluit, & exinanire ſeipſum, ideoque in tantum exaltatus eſt, ut *daretur ei nomen ſuper omne nomen, & in nomine ejus omne genu flecteretur* a, aut ſponte aut coacte. Grandia Dei Chriſtique opera & naturæ, & gratiæ, nomen ipſius exaltatum atque magnificum reddunt. Ipſa ſecundum ſe illius naturæ præſtantia omnibus laudibus, abſque ulla comparatione vel termino ſuperiorem facit. Sicut ipſe ſolus eſt, ait Hugo Victorinus b; quia vere eſt, & immutabiliter eſt: ita vere nomen ejus ſolius exaltatum eſt. Et licet creatura ſuum habeat eſſe, & altum eſſe, nullam tamen habet ejus exiſtentia comparationem ad Creatoris eſſentiam; ejus altitude ad illius excellentiam. Probat Eſaiæ c ſententia; *omnes gentes quaſi non ſint ſic, ſunt coram eo: & quaſi nihil, & inane reputatæ ſunt ei*: præterea Pſalmi 89. d *Mille anni ante oculos ejus, tamquam dies heſterna, quæ præteriit*. Subdit exemplum Abraham, profitentis coram DEO pulverem ſe & cinerem e. Denique profert Dionyſium, docentem, quod nulla eſſentia, lumen, vita ad incomprehenſibilem divinitatis infinitatem comparationem habere poteſt. Hoc idem argumentum de DEI, ac nominis ipſius magnitudine, quodque ſupra omnem ſit laudem, aliquoties antea tractatum eſt. Vacandum nobis, & videndum potius, quam ſcribendum, & dicendum, *Quoniam ipſe eſt Deus exaltatus in gentibus, & exaltatus in terra* f: immo ſuper omnem terram, cœlumque. De nomine *Jeſu* peculiariter hunc locum Jacobus de Valentia longiore ſermone interpretatur, docens cur nomen *Domini* propria quadam ratione tribuatur potius perſonæ ſecundæ Trinitatis. Summa eſt, quum nomen rem maxime notificet, aptiſſime de Filio dici, qui eſt Patris expreſſa notitia, ſeu per modum notitiæ ſimilitudo magis formalis. Deinde dicendo creavit DEUS, ideſt, Pater per Filium. Tandem Filius factus homo, manifeſtavit hominibus nomen Patris, perſonam quoque Spiritus Sancti, & ſuam, ac omnes divinas perfectiones. Addit etiam nonnulla de nomine qua-

a Phil. 2. 10.
b ſerm. 69.
c cap. 40. 17.
d verſ. 4.
e Geneſ. 18. 27.
f Pſ. 45. 11.
Ratio quædam cur nomen Domini ſecundæ Trinit. perſonæ potius tribuatur.

A drilittero Hebræo ineffabili, quod Adam primus excogitaverit. Sed Cabalam nonnihil redolent; ut nec quæ de nomine *JESU* habet hic, & Pſalmo octavo, ſunt omnino ſolida. Beda obſervat g, in Chriſti nativitate impletam videri hanc prophetiam, quoniam Chriſtus exceptus eſt feſtive ab omnium hominum ordinibus, ut inductione demonſtrari poteſt, ac nominatim Reges affuere. Cyrillus Alexandrinus h, extendit ad vocationem Gentium ex omni etiam hominum conditione, ac ſtatu.

g in Luc. c. 2
h l. 5. in Eſ.

Reges terræ.) Idem nomen *terræ* apponitur paullò poſt ad *judices*, & Pſalmo 2. i, ad eos, qui *judicant terram*: & in libro Sapientiæ k, ad *judices finium terræ*, rurſus in aliis Pſalmis l, ad *Reges terræ*. Quod etſi denotat dirigi ſermonem ad omnes quotquot ubique ſunt Orbe toto Reges, & qui cunctis imperant hominibus; tamen ipſum *terræ* nomen admonet Reges modeſtiæ, ut meminerint intra terram contineri omnem, qualem regendi poteſtatem habent: nec ultra per ſe protendi, ſi ſpectetur, ut pure, ac ſimpliciter humana: atque unum Deum ſolum, ut prius dixi, *altiſſimum eſſe ſuper omnem terram* m. Non male col-
B ligit Valentia, eo quod *Reges terræ*, poſteaque *omnes populi, & Principes*, ac *omnes judices terræ* nominantur, hic invitari non modo homines Veteris Teſtamenti, ſed etiam, ac multo magis Novi, ad quod non unus populus, aut Rex, ſed plures vocati ſunt. Plurimi refert in utramque partem magiſtratus exemplum: ut idcirco ſemel hìc populi, ideſt, ſubditi, memorentur, ter hi, qui præſunt Reges, Principes, judices: Aliud attendit Chryſoſtomus, & cum ipſo Euthymius, iſque, qui dicitur Baſilius, nempe providentiæ divinæ opus, ac beneficium, quod magiſtratus conſtituerit, ut etiam Paulus n, advertit: ſine quibus univerſum neceſſe ſit interire. Si vero quum nunc multi abutuntur ea dignitate; poteſtateque, & indigni provehuntur (quod non à Deo eſt per ſe, ſed ab hominum improbitate) tantus tamen rei eſt uſus, utilitas tanta, quam bene cum genere humano, inquit Chryſoſtomus, ageretur, ſi quibus crediti ſunt magiſtratus, eos recte gererent. Magnæ hoc nomine gratiæ debentur DEO, quoniam alioqui plusquam ferino ritu multi viverent. Gratias agere oportet tum eum, quem DEUS
C tanto honore affecit, deditque tantam ſuæ oſtendendæ curæ, & diligentiæ occaſionem, tum illum, qui privatus degit; quod habeat, qui ſui curam gerat, nec permittat opprimi ab improbis. Bruno materiam laudandi Dominum hic ſignificari dicit, quod alii regant, regantur alii: quamvis Regum Principum, judicum quidam, DEO juſte permittente, ſubditos tyrannicè vexent; nonnulli per miſericordiam ejuſdem bene regant. Spectas huc, quod alibi docui de ſolemnibus precibus pro vita, & incolumitate, atque ſalute Principum tam politicorum, quam Eccleſiaſticorum. Utroſque neceſſarios eſſe Eccleſiæ tamquam certum pono adverſus ex leges, *libertatemque velamen habentes malitiæ* o, nonnullos hæreticos, quos alias etiam impugnavimus. Difficilius fere qui rerum potiuntur, & propiores dignitate ſunt Deo, Deum ipſum cui magis obſtringuntur, laudant, ſed excæcati tantæ ſplendore dignitatis, illum contemnunt: quaſi mundus ipſorum conditus cauſſa eſſet, & non æqualis omnium à prima origine conditio hominum fuiſſet. Urgentur Pſ. 2. p, ut intelligant, ut *erudiantur, ut ſerviant Domino in ti-*
D *more, & exultent ei cum tremore, ut apprehendant diſciplinam*) reverenterque exoſculentur, & adorent Dominum, Deique Filium,) *ne quando iraſcatur, & pereant de via juſta*. Horapollo q, Judicem olim de pictum prodit, ut nudum ſuum Regem intueretur, eaque re ſignificatum, memorem eſſe debere ſe à ſuperiore, à quo judex factus eſſet, pendere, in ſententia vero ferenda intueri ſemper juſtam ipſius voluntatem, animumque omni nudum perturbatione. Summus judex DEUS, cujus ad nutum judicandum; & ut juſtiſſimus judex ſuo nomini optime reſpondens Joſaphat quaſi *DEI judicem* dictas, præcipiebat, conſiderare debet judex homo *judicium DEI, non hominis ſe exercere, & quodcumque judicaverit in ipſum redundaturum* r. Non alio melius modo laudatur Dominus à Regibus, Principibus, Judicibus. Caſſiodorus & alii Reges myſticè Sanctos, corpora ſua regentes accipiunt.

i verſ. 10.
k cap. 6. 2.
l Pſa. 71. 13. Pſ. 75. 13. Pſal. 88. 28 Pſ. 101. 15. Pſ. 137. 4.
m Pſ. 82. 19. Pſal. 96. 9.
Regum & magiſtratuum conſtitutio opus divinæ provid.
n Rom. 13. 1 & ſeqq.
o 1. Pet. 2. 16
p verſ. 10.
q hierogl. l. 1. cap. 4.
r 1. Par. 19.

Et omnes populi.) Alius apud Chryſoſtomum, πάντα φῦλα, *omnes Tribus*. Subditos hic paſſim intelligunt, quum alias eo nomine comprehendi poſſint omnes homines. Euthymius videtur poſteriore modo accepiſſe. Pueri tres filios hominum primum invitaverunt ad benedicendum Domino, tum Iſrael, deinde Sacerdotes, ſervos Domini,

ſpiri-

a Dan. 3. 86, 87. 88.

ſpiritus, & animas juſtorum, poſtremo ſemetipſos *a*, de Regibus, Principibus, judicibus non meminerunt, quia in captiuitate ſub tyrannis, & idololatris erant, qui orationibus eorum egebant, laudare Deum verum in eo ſtatu non poterant. Si de univerſitate hominum agitur, plurimæ cauſſæ ſunt, propter quas laudare Dominum debeant; quæ ad capita quinque potiſſimum revocantur, ad naturæ bona, in quibus cenſeri poſſunt, quæ vocantur fortunæ; deinde quæ proprio ſibi ſtudio, & induſtria comparare poſſunt virtutes, ſcientiæ, artes: tum gratiæ multiplex munus, ad hæc parata in cœlis gloria; poſtremo auctor generis humani reparati Chriſtus DEI Filius hominibus natus, datuſque. De his, & ſimilibus nonnihil actum octavo Pſal. *b*, quum perpendimus quemadmodum Deus hominem *minuerit paullò minus ab Angelis, gloria, & honore coronaverit, conſtituerit ſuper opera manuum ſuarum*.

Cauſſæ propter quas laudare Deum debeant homines.

b verſ. 6.

Principes, & omnes judices terræ.) Dixi, hos intelligi poſſe inferiores magiſtratus, quam ſint Reges, ita ut judices, vel à Regibus conſtituantur, vel à principibus. Poſſunt etiam ſynonyme ſumi. Rempublicam Hebræorum gubernabat olim Judex toto vitæ ſuæ tempore, qui populum è ſervitute, ac aliis vindicabat malis, & ex legis præſcripto, Senatorumque conſilio regebat: nec ad hoc officium conſtituebatur generis prærogativa vel opum, ſed aut à populo eligebatur, & invitabatur, aut mirabiliter à DEO ipſo excitabatur. Quare condere leges non poterat, non imponere tributa, non quidquam ſuo arbitratu imperare: ut idcirco tunc diceretur potius Deus ipſe gubernare: quemadmodum Samueli dixit, quando populus Regem ſibi poſtulavit *c*; Gedeonque oblatum ultro talem principatum ac dominatum refutaverit *d*. Et tamen qui tunc apud Hebr. judex erat, quandoque Rex legitur appellatus, ut Moyſes, Joſue, Jephte, &c. ut & interdum Conſul, Dux, Præſes, Cenſor ἄρχων, ἡγεμὼν, στρατηγὸς, μόναρχος. Latine etiam vindex & ſalvator. Denique gubernationem Salvianus *e* probat eſſe judicium, & βασιλεύεσθαι Philoſophus *f* de domo uſurpat, regnique notiones ac Regis formas quinque conſtituit. Legatur Sigonius *g*, Arias *h*, Fevardentius *i*, Genebr. *k*, & de noſtris Azor *l*, & Serarius *m*. Quod Caſſiod. ex Senatore monachus fecit, hoc ipſe teſtatur hic de aliis ejuſdem ordinis, nobilitatis, poteſtatis; ſubito mundi poteſtate derelicta Domini delegiſſe ſervitia. Frequenter ſe vidiſſe. Rariora nunc ſunt hæc exempla. Colligit nonnulla Platus noſter *n*.

c 1. Reg. 10. 19.
d Judic. 8. 23.
e 1. de provid.
f 1. polit. c. 2.
g 7. de Repub. Heb. c. 2.
h in li. Jud.
i in Ruth. cap. 1.
k in Chron. lib. 1.
l tom. 2. inſtit. l. 10. c. 2.
m V. 11. cap. 1. in l. Jud. cap. 3. q. 1. & ſeqq.
n 2. de bon. ſtat. Relig. c. 26. & 27.

Juvenes & Virgines.) Chaldaicè, *adoleſcentes incorrupti ſimul cum virginibus*: Sic quidem transfertur in Bibliis Regiis, duo prima vocabula ponendo pro unico רוקין *revakin*. Nebienſis autem poſuit עולימיא *bbulemaijah*, & exponit ſolum *adoleſcentes*. Prioris notio recepta eſt pro cœlibe ac juvene, qui ſit ſine uxore, quin etiam recte conjungitur cum virginibus ex ſexu fœmineo, in quo genere eſt nomen Hebræum, בתולות *bethuloth*, aliud in maſculino בחורים *bachurim*. Sunt autem proprie בחורים *bachurim*, quos Chryſoſtomus refert alium tranſtuliſſe ἐκλεκτοὺς, *electos*, quaſi ſint inter viros præcipui ii qui matrimonio juncti non ſunt, quemadmodum virgines inter fœminas. Utrique tantæ dignitatis indicantur hic eſſe in utroque ſexu, quantæ prius Reges nominati primo loco, quantum ad ordinem potentiorum. Quamvis autem Virginitas in ætate grandiore perſeverare poſſit, apud Hebræos non erat in uſu, aut in laude. Idcirco deſignantur hic nubiles tum viri tum fœminæ, adhuc in ipſo, quaſi ætatis flore, & quod attinet ad viros, Hebræo illo nomine בחורים *bachurim*, vocantur *juvenes*, ideſt, *electi*, quia promti ad rem, opus, bellum, potius quam ſenes. Conjunctio cum virginibus fœminis ſuadet, ut viros quoque hic virgines intelligamus, quemadmodum & in libro Judith *o*, apud Ezechielem *p*, Videtur alibi conſentire Chryſoſt. *q*. *Virginum* nomine abſolute loquendo ſolent intelligi fœminæ: tamen in Apocalypſis quodam loco *r*, ſoli ſic viri appellantur, & deſcribuntur, qui cum mulieribus non ſunt coinquinati. Ubi nihilominus etiam Cyprianus *ſ*, includi vult fœminam; quoniam fœmina, inquit, viri portio eſt, & ex eo ſumta, atque formata. Voce tonant magna virgines, ſimulque quaſi *citharœdorum citharizantium in citharis ſuis, & cantant quaſi canticum novum*, laudantes maxime Agnum, quem *ſequuntur, quocumque it* t, utpote ſine macula, & illi quam ſimillimi ἰσόθεοι cognominantur ἀρθενοι, ac ipſis Angelis etiam ſuperiores, & nomen melius accipientes in domo DEI, quam illi. Chorum virgineum Conſtantinus tantum non adorabat *u*, iſthic arbitratus DEUM habitare, cui ſe devoverant. Divini hi fructus *quaſi roſa fructificantes, quaſi Libanus odorem ſuavitatis habentes, florentes quaſi lilium, frondentes in gratiam, collaudant canticum, & benedicunt Dominum, dant nomini ejus magnificentiam, confitentur illi in voce labiorum, & in canticis labiorum, & citharis* x. Verum hac de re alias. Origenem refert Agellius in hujus loci commentario ſcribentem, quod ὁσάκις μέμνηται νεανίσκων ἡ γραφὴ, καὶ παρθένων τοὺς ἐν ἁγίᾳ σημαίνει τὸ ἀδιάφθορον ἔχοντας, quoties commemorat juvenes Scriptura, & virgines, ſignificat eos, qui in caſtimonia incorruptionem habent. Juvenes quoque Caſſiodorus accipit, qui ætatis calore ferventes, ad modeſtiæ ſe temperamenta convertunt. Porro ſubtiliter à Salmerone *y*, noſtro alicubi notatum eſt, hoc loco juvenes, & paullò poſt juniores, invitari, (adde Virgines, qui fere ſpectari ſolent ut in ætate viridi) ſemel dumtaxat ſenes; quoniam facilior eſt ea ætas, quam provectior, ad Evangelium, & vitæ ſanctius inſtitutum recipiendum. Ea vero etiam de cauſſa obſervat dixiſſe potius Chriſtum, *veniſſe ſe ſeparare hominem*, ideſt, filium, *adverſus patrem ſuum, & filiam adverſus matrem ſuam, & nurum adverſus ſocrum ſuam* z, non tantum quia res mirabiliter videbatur, quam ſi de patre, matre, ſocru affirmaviſſet, quibus in alios eſt auctoritas; verum etiam quoniam, ut dictum eſt, magis idonei videntur ætate minores ad capeſſendam virtutem. *Ferens jugum ab adoleſcentia, levat ſe ſupra ſe* facilius *a*. Et reſpectu ejus, qui jam provectus id agit, Angelum Anſelmus cum homine comparatum aſſerebat, quem Aquinas *b* citat, & ſequitur. Humbertus autem Ordinis Prædicatorum, Generalis quintus, referre ſolebat viſum cuidam vita functum ſocio, cui collucentem oſtendebat magnum numerum pulcherrimas cruces humeris deferentium, deinde multo pulchriorem, qui manibus geſtabant; poſtremo longe ſpecioſiſſimum, qui non ipſi Cruces multo etiam ſplendidiores, & illorum præeuntes cuſtodes Angeli portabant, ut ii ludibundi, alacreſque ſequerentur. Hos ultimos eſſe, qui in adoleſcentia Religioſam vitam iniiſſent; ſecundos, qui in virili; primos, qui in provecta ætate, Lege Platum *c* noſtrum.

Virginitas in grandiore ætate, apud Hebr. in uſu non erat.

o cap. 15. 16.
p cap. 9. 6.
q Hom. 5. in Matth.
r cap. 14.
ſ lib. de diſcipl. & habitu Virg.
t Apo. 14. 4.
u Euſeb. 4. de vit. Conſtant.
x Eccl. 39. 26

Per juvenes, & virgines, Scriptura eos ſignificat, qui in caſtimonia incorruptionem habent.

Notatio Salmeronis ſatis ſubtilis.

y tom. 4. p. 2 tract. 17.
z Matth. 10 35.
a Thr. 3. 27.
b Opuſc. contr. retrahentes à Relig. c. 3.
c 3. de bono ſtatut. Relig. cap. 33.

Senes cum junioribus.) Hieronymus, & in Speculo Auguſtinus, *cum pueris*. Caſſiodorus: *ſeniores cum junioribus*. Græc. πρεσβύτεροι μετὰ νεωτέρων. Hebr. זקנים עם נערים *zeKenim hbim nebharim*. Pueros accipit Hieronym. paullo latius, ut comprehendunt adoleſcentes, & paullo adhuc grandiores. Arbitratur Ayguanus prædici adoleſcentium Machabæorum cum grandæva matre pro lege, ac Domino confeſſionem. Addi poteſt ſenior Eleazarus. Honeſta ſane, utiliſque combinatio juniorum cum ſenibus, ut ab iſtis illi ad virtutem, & diſciplinam inſtituantur. Incertum, an ſenes cum junioribus ita dicuntur, quaſi priores ſint juniores, ad laudandum nomen Domini, ſeniores autem ſe illis aſſocient; an viceverſa, à ſenioribus admittantur juniores, & invitentur ad hoc pium officium. Sunt juvenes alacriores: at exemplo priore, provocareque decet ſenes, ambos in eamdem Religionem conſpirare. Chriſti fortaſſis voluntate Andreæ Philippus, Joannes Petro, amicitiæ ſocietate peculiariter conjuncti erant, juniores cum ſenibus, ut ex hiſtoria Evangelica, & Apoſtolica cognoſci poteſt. Optimæ indolis indicium in adoleſcente uſu, & doctrina ſenum delectari, eos vereri, atque libenter frequentare, & audire. *Non te prætereat*: ait Sapiens *d*, *narratio ſeniorum: ipſi enim didicerunt à patribus ſuis, quoniam ab ipſis diſces intellectum, & in tempore neceſſitatis dare reſponſum*. Exclamans etiam ait *e*. *Quam ſpecioſum canitiei judicium, & Presbyteris cognoſcere conſilium; quam ſpecioſa veteranis ſapientia, & glorioſus intellectus, & conſilium: in corona ſenum multa peritia, & gloria illorum timor DEI.* Ὁμιλίας δὲ τὰς γεραιτέρας φίλει, *colloquia vero ſenilia diligas*, inquit Euripides *f*. Æmulandos quoque ſenes juvenibus Simonides dicebat ἅθηλος ἵππῳ πῶλος ὡς ἅμα τρέχειν, *ut lactens pullus curſum comitetur equæ*. Attamen

Odioſa g *eſt hæc ætas adoleſcentulis*.

Senum auctoritas, ac reverentia temperat ætatem laſcivam à peccando, caventque ſenes, nequid committant quo juvenibus ludibrio poſſint eſſe, ut Lacedæmonius Chilo dicebat. Quantus honor ſenectuti ſit habitus olim apud Romanos, Lacedæmonios, alios omitto: legendum Paleotti opus de bono ſenectutis, & nos nonnulla diximus ad librum Sapientiæ *h*.

In adoleſcentæ optimæ indolis indiciū doctrina ſenum delectari.

d Eccl. 8. 11. 12.
e c. 25. 6. 7. 8
f in Erecht.
g Terent. in Hecy.
h in cap. 4 8

Laudent nomen Domini.] Sæpius monui, *nomen Domini* pro Domino ipſo ſumi: paullò etiam ante, quod peculiariter ſecundæ Trinitatis perſonæ attribuant, ut *nomen Domini* dicatur. Hinc denique dixi verſus initium ab aliis duci.

Quia exaltatum eſt nomen ejus ſolius.] Hieronymus, *quoniam ſublime nomen ejus ſolius*. Per participium Latinum videtur melius exprimi Hebræum item participium נשגב *niſgav*, & paſſivus aoriſtus Græcus ὑψώθη. Refert Chryſoſtom. alium tranſtuliſſe ὑπερέχον, *ſupereminens*. Significatur autem etiam participio Hebræo *nomen* etiam *Domini forte*, ac *roboratum*. Chaldaicè, תקיף *thakiph*. DEUM adeo excelſum eſſe, ut nocere ei non poſſit: ſed ab hoſte, omnique ſit ſecurus ærumna, humanis viribus, & cunctis creatis potentia illius ſuperior ſit. Quam ſit exaltatum, altum, excelſum, ſublime, magnum, celebre forte *nomen Domini*, tum etiam *nomen JESU*, & prius, & alias docuimus. *Quod nomen eſt Filii Dei, ſi noſti*, inquit Salomon *a*. *Magnus es tu*, ait Deum alloquens Hieremias *b*, *& magnum nomen tuum*. Vocabat ſponſum ſponſa, ſed ille non reſpondebat *c*, quoniam, ut ſcribit Nyſſenus *d*, junior erat, quam qui per has voces indicari poſſet. Qua de cauſſa docet etiam, infinitis nominibus nomen divinum appellatum à Davide (addere potuit Eſaiam *e*) qui & *nomen Domini admirabile* appellaverit *in univerſa terra* f; quemadmodum & patri Samſonis reſpondit, qui pro nomine appellaretur, interrogabatur, *mirabile* eſſe, ac ſublimius, quam cujus eſſe capax auris humana poſſet *g*. Simile quiddam Jacob prius expertus fuerat *h*, licet abſq; expreſſione Angeli, quod nomen ſuum eſſet mirabile; ſed inepte utriuſq; Angeli nomen proprium putant aliqui *Peli*, eſſe, quoniam פלי *peli* epithetum nominis eſt, non nomen proprium. Hoc nomen eſt *ſuper omne nomen* i, quod nominatur non ſolum in hoc ſæculo, ſed etiam in futuro k, *tantoque* JESUS *melior Angelis effectus eſt, quanto differentius præ illis nomen hæreditavit* l. Ergo cum Eſaia *m*, *confiteamur Domino, & invocemus nomen ejus: atque meminerimus, quoniam excelſum eſt nomen ejus*.

a Prov. 30. 4
b c. 10. 6.
c Cant. 3. 6.
d hom. 12. in Cant.
e cap. 9. 6.
f pſ. 8. 1.
g Jud. 13. 18.
h Gen. 32. 29
i Phil. 2. 9.
k Eph. 1. 21.
l Hebr. 1. 4.
m cap. 12. 4.

Verſ. 14.) Confeſſio ejus ſuper cœlum, & terram, & exaltavit cornu populi ſui.

Hymnus omnibus Sanctis ejus, filiis Iſrael, populo appropinquanti ſibi. Alleluja.

Senſus loci.

EUmdem verſiculum omnia iſta componunt in Biblica diſtinctione: ſed apud eos, qui transferunt ex Hebr. ſumitur initium 14. inde, *& exaltavit cornu*, &c. rejectis primis verbis ad præcedentem 13. Continetur hic autem duplex alia ratio cur laudari Dominus debeat ab omnibus rebus creatis, præter proximè allatam de nomine ipſius exaltato ſuper aliud omne nomen. Secunda ratio eſt, quoniam confeſſio, & laus ejus ſuper cœlum, & terram expanſa eſt, quæ condidit, & gubernat, cum rebus, quæ in illis ſunt. *Operuit cælos gloria ejus, & laudis ejus, plena eſt terra* n; *pleni ſunt cœli, & terra, majeſtatis gloriæ ejus*. Tertia, quia populum ſibi peculiarem delegit, quem ſupra alios omnes eminentem potentia, ſcientia, religione redderet, quemque deſpectum, atque depreſſum liberaret, erigeret, ſuſtolleret, ſicque ad majores, & celebriores laudes ſuas excitaret. Itaque concludit hymnum decantandum ab omnibus Sanctis, ideſt, qui Deum verum colant, eique dicati, & conſecrati ſint, tum præſertim à populo Iſraelito, qui fide, & cultu, familiaritate quadam charitatis, aliarumque virtutum propinquus Domino ſeſe reddat. Tales ſunt Iſraelitæ ſecundum ſpiritum, qui *Spiritui Sancto non reſiſtunt, ſicut ſemper fecerunt Iſraelitæ* ſecundum carnem *o*. *Non enim omnes, qui ex Iſrael hi ſunt Iſraelitæ, neque qui ſemen Abrahæ omnes filii, ſed in Iſaac vocabitur tibi ſemen, ideſt, non qui filii carnis, hi filii DEI, ſed qui ſunt filii promiſſionis, æſtimantur in ſemine* p. Pertinet quoque ad filios Abrahæ, qui *ſectantur veſtigia patris Abrahæ*, ſive *fuerint ex circumciſione*, ſive *ex præputio* q. Fruſtra patrem ſe habere Abraham jactant *r*, qui *Abrahæ opera non faciunt*, ſed *ex patre ſunt diabolo* ſ. *Mentiuntur ſe Judæos, ſed non ſunt* t, qui *confitentur ſe noſſe Deum*, (quem etiam, qui tunc ſunt Judæi ſecundum carnem, recta fide non noverunt) *factis autem negant* u.

n Abac. 3. 3.
o Act. 7. 8.
p Rom. 9. 8.
q cap. 4. 12.
r Luc. 3. 8.
ſ Joan. 8. 33.
t Apoc. 2. 9. cap. 3. 9.
u Tit. 1. 16.

Confeſſio ejus ſuper cælum, & terram.) Hieronym. *gloria ejus in cœlo, & in terra*. Alii, *magnificentia, celebritas dignitas, celebratio, laus, decor*. Chaldæum nomen cum affixo, שבחתו *ſcevachtho*, *laudem*, ſeu *laudationem, glorificationemque* ſignificat. Hebræum item cum affixo, הודו *hodo*, hæc eadem, & alia, quæ dixi. De quo nomine dictum alias *x*, & de Græco ἐξομολογήσεως, ut confeſſionem ſignificat laudis, & gratiarum actionis. Sic autem *confeſſionem Domini eſſe ſuper cælum, & terram*, vel *in cœlo, & in terra*, ut habetur in vetere Pſalterio, apudque Auguſtinum, erit utroque in loco materiam eſſe, & cauſſam illum laudandi, eique gratias agendi. Nam omnia Deum confitentur, inquit Auguſtin. omnia clamant, omnium pulchritudo quodam modo vox eorum eſt confitentium Deum. Clamat cœlum Deo, Tu me feciſti, non ego. Clamat terra, Tu me condidiſti, non ego &c. Omnia iſta laudant illum ſive in ſtatu, ſive in motu, ſive de terra deorſum, ſive de cœlo, ſurſum, ſive in vetuſtate, in renovatione. Quum vides hæc, & gaudes, & attolleris in Artificem, & *inviſibilia ejus per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpicis* y: confeſſio ejus in cœlo, & in terra, id eſt confiteris ei de rebus terrenis, confiteris ei de rebus cœleſtibus. Quidam non ſatis apte accipiunt præpoſitionem *ſuper*, quaſi denotet exceſſum; ita ut *confeſſionem Domini ſuper cælum, & terram eſſe*, ſit eſſe altiorem, ac ſuperiorem cœli, ac terræ, cognitione naturali, nec poſſe quemquam confiteri Domino, ut par eſt, niſi detur ei deſuper. *Super cœlum, & terram*, idem eſt hic, quod *in cœlo, & in terra*, ut ex alia translatione retuli, quæ Græcè quoq; ſimilior eſt, ἐπὶ γῆς, καὶ οὐρανοῦ. Unde Apollinarius.

x pſ. 95. 6. pſ. 103. 1. pſ. 110. 3.
y Rom. 1, 20

Αἶνος ἑὸς γαῖάν τε, οὐρανὸν ἀμφικαλύπτει,
Laus ejus terramque, & cœlum circumtegit.

Anguſtior Victorini Hugonis *z*, expoſitio, *confeſſionem laudis*, & *laudem Dei ſuper cœlum*, eſſe per ſpiritus beatos, *ſuper terram*, per homines juſtos: & omne, quod creatum eſt, infra ipſum eſſe. Laus, & confeſſio hæc ad omne creatum pertinet: ſitque repetitio ſummorum quaſi capitum, de quibus hactenus dictum eſt, nempe de cœlo, ac terra, rebuſque, quæ in eis ſunt: & vel affirmatur, id quod eſt, vel ut ſit, omnis in cœlo, & in terra invitatur iterum creatura, nempe ad confeſſionem, & laudem Dei. Nec de ſola puto confeſſione agi, ut Caſſiod. voluit, quæ Domino poſt ſæculi iſtius invocationem ab omnibus rationalibus creaturis exſolvitur; *ſuper cœlum* vero, *& terram*, dici, quia nec cœleſtia, nec terrena illis prædicationibus poſſunt æqualia reperiri. Sumit hic ultimũ dicendi modum Trev. quam præterea ſequitur Haimo, ac nec reſpuit Ceneb *ſuper*, comparative, ac exceſſus ratione, quod antea refutavi. Ille alius de rationalibus creaturis, qui placet Brunoni, verus eſt, quatenus iſtis ceteræ res argum. ſuppeditant propriè laudandi Dominum, & illi confitendi. Idem dico de Rick. exponente laudé ejus eſſe in Eccleſia triumphante, ac militante, in patria, atq; in via idem de Euthym. & Niceph. qui declarant, quod gratiarum actio, & glorificatio Deo ſit in terra quidem ab hominibus, in cœlo vero ab Angelis.

z ſer. 98.

Et exaltavit cornu populi ſui.) Chald. *& extulit gloriam regni ſui populo ſuo*, licet in textu Nebienſis deſit מלכותה *malchuth*, *regni ſui*. Græcè ὑψώσει in futuro, in quo etiam eſt Hebræum: quamvis propter punctum ſub littera ſervili, vertatur in ſignificationem præteriti וירם *vaijarem*. *Exaltatio, erectio, productio cornu*, ſæpius aliis in pſalmis *a*, occurrit pro regno & potentia, nonnumquam etiam cum ſuperbia, tyrannide, ferocia *b*, ita ut non ſemper laudi, quod quidam *c*, dixit, id aſcribant Hebræi. Expreſſit Paraphraſt. hoc loco nomen *regni*, ut retuli ex textu Biblico. Eodem pacto apud Jeremiam *d*; *Abſciſſum eſt cornu Moab*, vertit, *ſucciſum eſt regnum Moabitarum, & dominatores eorum contriti ſunt*. In Threnis *e*, quod ab eodem Propheta dicitur, *confregit in ira furoris omne cornu Iſrael*, ſignificat omne robur, ac vires omnes, aut regnum utrumq; Juda, & Iſrael. Tauris cornua ornatum dant, & robur. Valer. *f*, & Ovidius *g*, aliique narrant M. Genucio Cippo prætori paludato portam egredienti cornua in capite ſubito emerſiſſe præſtigiatorem perſuaſiſſe, iiſque protendi regnum, atque ut ea ſedulo velaret fronde effeciſſe. Æmulari diabolus voluit cornutam Moyſis faciem *h*, ideſt eſplendidam, & quaſi radiatam, fovere etiam conatus eſt inſcitiam eorum, qui vere cornutam exiſtimabant, cum auro Bacchum decorum cornu finxit; quod ad ebriorum truculentiam, furorem, audaciam, inter alias cauſſas, nonnulli *i*; pertinere docent. De multiplici ſignificatione *cornu* Joannes Ferdin. noſter in theſauro ſuo, & in *c. 2.* Threnorum Pintus. Myſticè Ambroſ. K, cornu noſtrum Chriſtum affirmat, qui præ-

a pſ. 27 3. pſ. 74. 56. 11. pſ. 88. 15. 19. pſ. 91. 11. pſ. 111. 9. pſ. 111. 17.
b pſ. 21. 22. pſ. 74. 5 6. 14
c Delr. 10. 1. adag. 51.
d cap. 48. 25
e cap. 2. 3.
f lib. 1.
g 15. Met.
h Exod. 34. 29.
i Feſt. Plin. lib. 23 cap 1 Phurnutus. Porphyr. in Hor. Gyral. de diis Gen. ſyntag. 8.

Cornu acceptiones myſticæ.

k 2 de Abr. c 8.

præſtitit omnibus, utpote *ſpecioſus forma præ filiis hominum* a, & ſolus elevatus, ac exaltatus à terris, carnemq; [a pſ. 44.3.] ſuam virtute ſuperiore à terris levans, velut aries *hærens cornibus* b, exaltavit etiam cornu Populi ſui. [b Gen. 22.13] [c ſerm. 98.] Hugo Victorinus c, eamdem allegoriam de Chriſto pluribus tractat, ut cornu dicatur populi dominici. Cornu, inquit, de carne procedit, ſed carnem excedit: ſic Chriſtus de carne Virginea proceſſit, ſed culpam non habendo, carnem exceſſit. Cornu omni ſupereminet corpori, & Chriſtus membrorum ſuorum univerſitati, quod *cornu ſalutis* Joannis pater *erectum* cecinit *in domo David* d, quia ſalutem prædicavit (quaſi edens cornu ſignum) immo attulit. [d Luc. 1.69.] Cornu populi Dei Chriſtus, quoniam ipſo abſterret, & fugat hoſtes de finibus ſuis. Hoc unum cornu eximium dignitate, poteſtate, ſanctitate, exaltatum eſt ipſo aſcenſionis die, & collocatum ad dexteram Patris, videl. prius exaltatum in ara Crucis: quod videns Abraham in illo ariete, cujus cornua hærebant viperibus, *gaviſus eſt, & exultavit* e. [e Joa. 8.56.] Juxta tropologiam, & anagogen, exaltatur cornu populi fidelis, quod hic humiliatur prius per afflictiones, & dolores, quod modo humile eſt, ait Auguſtinus, in trituris, in tribulationibus, in tentationibus, in tunſione pectorum. Ibi exaltabitur, inquit Caſſiodorus, ubi omnis gloria præſtatur. Primum, quia dexteram merentur: deinde cum Domino judicabunt: tertio in æternam pacem, gaudiumque tranſibunt: ut merito exaltari dicantur; qui uſque ad ipſius Domini contemplationem mirabili ejus pietate perveniunt. Hilarius exaltationem quoq; iſtam cornu populi Dei ad beatę civitatis illius ſęculum refert, & ad ſtatum incorruptionis, honoremq; immortalitatis, quam deſignari putat per *cornu*. Bruno exponit exaltandum populum Dei in æterna gloria, propter *cornu*, ideſt, propter ſublimitatem, quam habet hic in moribus, & in virtutibus, quæ per *cornu* accipitur.

Hymnus omnibus ſanctis ejus.] Hieronym. *laus*, תהלה *thehillah*: & pro ſanctis ſunt חסידים *chaſidim*, & ὁσίοι, de quibus vocabulis dictum ſæpe. Trevet. & Hieron. recitat, *miſericordibus ejus*. Poſſumus exponere, hymnus, lauſve ſit ſanctis Dei; vel erit: vel illos decet, ſicut alibi f, *rectos decet collaudatio*; [f pſ. 32.1.] ut nempe tales Deum laudant, hymnoque celebrent: vel jam eſt, habentque in promptu. Idem poteſt explicari; digni ſunt hi hymno, & laude; & canatur, dicatur laus, & hymnus illis: aliquando dicetur, & canetur ipſis. Denique non deeſt, qui declaret, *exaltavit Dominus cornu populi ſui ad laudem, gloriamque populi ſui*. Hebræum nomen תהלה *thehillah* de laude divina dicitur, indeque liber hic appellatus eſt תהלים *thehillim*, & ab Auguſtino *hymnorum*, ut argumentatur contra ultimum ſenſum Genebrardus. Nihil vetat quo minus id tribuatur hominibus, præſertim ſanctis, ac propter Deum, ut & religioſi alii nonnulli cultus. Immo Damaſcenorum civitas apud Jeremiam g, vocatur *civitas* תהלת *thehillath laudis*, ab Interprete noſtro *laudabilis*. [g cap. 49.25.] Attamen verior, & communior expoſitio eſt, ut ipſi ſancti laudent Deum, & hymnum illius celebrent. Prior ille ſenſus indicatur ſatis aperte à Chryſoſtomo, [qui notat alium tranſtuliſſe ὕμνος *hymnus*, ſed ἔπαινος *laus*) Baſilio, Theodoreto, videlicet quod claros, celebres, glorioſos; laudabiles reddat Deus ſanctos ſuos. non tantum fortes apud omnes. Quod venerationi ſanctorum plurimum favet. In officio quoque omnium ſanctorum videtur Eccleſia ſic intellexiſſe antiphonam iſtam, copulans pſalmo iſti ad laudes, adjectis poſtremis pſalmi ſequentis verbis, *hymnus omnibus ſanctis ejus, filiis Iſrael, populo appropinquanti ſibi: gloria hæc eſt omnibus ſanctis ejus*. Rickelius utrumque perſtringit, quod & ſancti laude digni ſint, & Deum inceſſabiliter laudent. Juxta communiorem vero ſenſum, quem idem Chryſ. primo loco ponit, & Euthym. ac Niceph. tradunt, exprimitque Apollinarius hoc pacto.

ὕμνος δ' εὐκλειὴς μελέτω γενεῇσι δικαίων.
Hymnus vero glorioſus curæ ſit generationibus juſtorum.

Hymnum Domino canunt hic hi potiſſimum, qui peculiariter ſunt populus ipſius, & perfectiores Iſraelitæ, ac eidem magis appropinquantes inſtituto vitæ ſanctiori. Sed in cęlo beati perfecte abſque impedimento id exequuntur non ut ceteri reges, inquit Hilar. aut principes, aut judices, pro virtutis & confeſſionis admiratione, ſed pro gaudio conſummatæ in ſe beatitudinis, & gratulatione cantantium. Auguſtin. requirens in hymno, ut ſit canticum,

A & laus, & Dei, ſive laus Dei in cantico, ſanctis convenire dicit in fine, ut ſcilicet dicant hunc hymnum ſempiternum, ſacrificio laudis glorificent Deum, ubi via eſt, qua ipſe *oſtendit ſalutare ſuum* h, ubi ſeu *in domo ipſius, in ſæcula ſæculorum laudant eum* i. [h pſ. 49.25.] [i pſ. 83.5.] Quod merebuntur ſancti, ait Caſſiodorus, hymnus eſt Domini, quem tunc canent, quando & æterno munere coronabuntur. Iſto enim præcepto, ulterius nil egebunt, ſed illic erit quidquid non valet apprehendi, manna cœleſtis, ſatietas infaſtidibilis, incomprehenſibile donum, aſſidue hoc agere, & in eo ſtudio ſemper ardere. Hymnus eſt ergo ſanctorum cantus in laude Domini conſtitutus, cui anima, corpuſque perfecta paritate conſentit. Quem etſi hic modo videmur dicere cupide, tamen non poſſumus ſine defectione peragere. Bruno *hymnum* ſumit pro ipſo Deo, & Chriſto, quoniam cauſſa hymni erit omnibus ſanctis, quemque hi laudabunt laude æterna dilectionis.

Filiis Iſrael.) Per appoſitionem hoc dicitur, ut & ſequentia de eodem Hebræo populo, qui ſæpius cognominatur ſanctus: quamvis Lyranus in priore membro per B ſanctos velit angelos intelligi. Vocantur quoque *filii Iſrael* Hebræi in pſ. 102. K, & in aliis *filii* l *Jacob & Joſeph*. [K v. 7.] [l pſ. 76.6. pſ. 104.6.] De *filiis Iſrael*, ſive de *Iſraelitis* ſecundùm ſpiritum, quiq; dicitur *Iſrael Dei* præſentem locum præcipue intelligendum monent fere omnes, noſque antea notavimus. Arnobius urget patientiam, & fidem Patriarchæ, per quas meruerit facie ad faciem Dominum Deum videre, unde *Iſrael* ſit appellatus, ideſt, *videns Deum*, promitti autem his, qui filii ejus fuerint per imitationem, hoc eſt, per munditiam cordis, beatitudinem m. [m Mat. 5.8.] Sectatur tritam, etſi haud adeo veram, etymologiam *Iſrael*: & abutitur viſione Dei facie ad faciem, quam vix Moyſi concedunt nonnulli, ac ne vix quidem ego cum pluribus, ſi proprie loquamur. Cur peculiariter, & ſæpius denominetur populus Hebræus à *Jacob*, ſive ab *Iſrael*, alias oſtenſum eſt. Subtilius obſervat Cajetanus circa hæc, & priora, ſequentiaque verba, laudantium Dominum conditiones quatuor, [Laudãtium Dominum conditiones quatuor.] ut ſint gratioſi (hos enim pro *ſanctis* legit) ideſt, benefici erga alios, idq; propter Deum (quod pronomine *ſuis* importari vult) ut ex genere ſint Patriar- C charum (quod eſt eſſe *filios Iſrael*) hoc eſt, quibus promiſſio facta: ut populus, nempe redacti in ſtatum libertatis: ut propinqui Deo, propinquitate, atque conjunctione cordis, & omnium virtutum, quæ reſpiciunt Deum.

Populo appropinquanti ſibi.) Eodem pacto Hieronym. vel apud Trevetum; *propinquo ſibi*, ideſt, inquit Trevet. qui eſt propinquus Deo. Chaldaice *qui appropinquat ei*: vel; *qui appropinquantes ſunt ei*, דקריבין ליה *dekarivin leh*. Hebraice קרבו *Kerovo, propinquo ejus*: Campenſis explicat, quod Deus, qui gloria (ſic reddit pro *hymno*, ſanctorum ſuorum eſt, ac filiorum Iſrael, eſt hujus etiam populi colentis eum, ita ut hoc ſit Deo appropinquare. Alii declarant de familiaritate cum Deo per religionem, & alias virtutes, Nam fides, ait RicKelius, oſtendit viam, ſeu finem, terminumq; ſpes incipit tendere; charitas unit Deo, & ceteræ virtutes ea informatæ; quemadmodum è contrario per peccata receditur à Deo. *Prope eſt Dominus invocantibus eum in veritate* n; *appropinquat his, qui appropinquant ei* o, [n pſ. 144.18.] [o Jacob 4.8.] & ſimilitudinem, ac imitationem ipſius conſequi ſtudent, & mandatorum obedientia vo- D luntati ejuſdem conjungi, ac viva membra effici, *illi adhærere bonum* ducunt p, *unumque ſpiritum eſſe cum ipſo* q. *Longe à peccatoribus eſt ſalus* r: & diſcedere jubentur à Deo *, *ne videant gloriam ejus* ſ, *& in tenebras exteriores mittuntur* t, qui *accedere ad eum* noluerunt, ut *illuminarentur* u; ſed *lumini rebelles fuerunt* x: præterea quorum *cor longe eſt à Deo*, quamvis *appropinquent ore ſuo, & labiis ipſum glorificent* y: *prope eſt* Deus *ori eorum & longe à renibus eorum* z. [p pſ. 72.28.] [q 1. Cor. 6.17] [r pſ. 118.155.] [* Mat. 7.23 cap. 25.41.] [ſ Eſa. 26. ſecund. LXX.] [t Mat. 8.12. cap. 22.23. cap. 25.30.] [u pſ. 33.6.] [x Job. 24.13.] [y Eſa. 29.13 Mat. 15.7.8.] [z Jer. 13.2.] De appropinquatione, conjunctione, adhæſione, unione maxima, & inſeparabili per beatitudinem, & Dei viſionem: qua maxime ſimiles nos effici Deo ſcribit Joannes a, videtur Bruno intelligere; ut ſcilicet, non jam *quaſi per ſpeculum*, ſed *facie ad faciem* Deus videatur b. [a 1. ep. 3.2.] [b 1. Cor. 13.] Populus Hebræus propinquus erat, eſtq; Chriſto propinquitate carnis, ex illis enim ipſe *ſecundum carnem* c: [c Rom. 9.3.] erat *populus appropinquans Deo*, quia propinquum habebat illum, ideſt, propitium, quod nomen derivatus a *prope*) cum nulla gens alia, *natiove ita deos habere appropinquantes ſibi* d, [d Deut. 4.7.] erat appropinquans pręſertim per ſuos ſacerdotes, ad quos pertinebat ad S. & S. ſanctorum propius, cum ſacrificiis, accedere, propitiumque populo Deum reddere. In populo Chriſtiano quanto divi-

divinior quaſi conſanguinitas, non modo per incarnatio- A nem, ſed per corporis Chriſti realem ſumtionem? quanta propitiatio illi ex propitiatorio illo ſacrificio, in quo idem Chriſtus adeſt, offerturque? Perpendit accurate Nazianzenus a, [a in apolog.] quanti res momenti ſit Deo appropinquare, Moyſis exemplo, cui uni Deus, cum legem daret, id permiſit b. [b Exod. 19.12] *Appropinquandi* verbum Hebraicè קרב *Karau*, videtur ſacrum, ideoque ſacrificantibus uſurpari ſolitum, ſive de miniſtrantibus ſacrificio. [c c. 10.1.2.3] Sic in Levitico c, poſt interfectos filios Aaron, Nadab, & Abiu, quod obtuliſſent coram Domino ignem alienum; locutus Dominus fertur; ſanctificabor in iis, qui appropinquant mihi בקרבי *beKrovai, in propinquis meis*, nimirum ſacerdotibus, qui me magis attingunt, & ſunt magis domeſtici. Præterea in Libro Numerorum d, [d cap. 16.1.2.3.4.5] cum ſeditionem commoviſſent Core, Datan, Abiron contra Moyſen, & Aaron, Moyſes dixit; *mane notum faciet Dominus, qui ad ſe pertineant, & ſanctos applicabit ſibi, & quos elegerit, appropinquabunt ei* יקריב אליו *jakriu elau, appropinquare faciet ad ſe*, ſeu *applicabit ad miniſterium ſuum*, ut reddit Chald. Paraphraſtes. [e cap. 33.3] Denique in Deuteronomio e, habetur, quod *qui appropinquant pedibus Dei, accipient de doctrina illorum*: quamvis תכו *thucchu* explicet Vatablus, *qui inſerti ſunt intra* B *pedes ejus, adjunxerunt ſe pedibus ejus: ſectati ſunt veſtigia ejus*. Oleaſter, *qui percuſſi ſunt ad pedes ejus*, quoniam diſcipuli ſolent verberari à magiſtro e exiſtentes ad pedes ipſius, Populus totus Hebræus ſanctus dicebatur, & quodammodo ſacerdotio initiatus: ſed propriè conveniebat id nomen, & ſacerdotale officium certis perſonis ex Levitica tribu. A dicto Hebræo verbo profluit קרבן *Korban, oblatio, & quodvis donum, quod offertur Deo*: quo ipſo vocabulo appellatus videtur tempore Chriſti donariorum ſacrorum locus, ærariumve ſacrum, & gazophylacium f, [f Marc 12.41 Luc. 21.1 Joan. 8.20 Matt. 17.6] non modo donaria g. [g Marci 7.11] Chriſtianis contulit Chriſtus *regale ſacerdotium* h, [h 1. Pet. 2.5.9 Apoc. 1.6] ut regia nempe offerant ipſi ſacrificia, & cum vivente Chriſto *eſſent appropinquantes ad illum publicani, & peccatores* i, [i Luc. 15.1] non dubitent & ipſi *appropinquare ad pedes ipſius, ut accipiant* non ſolum *de doctrina* k, [k Deut. 33.] *illius*, ſed etiam de meritis, ac viciſſim ei, qui ſe obtulit pro eis, *exhibeant*, offerantque *hoſtiam viventem, & ſanctam* l. [l Rom. 12.1] Denique hæc veluti definitio, deſcriptiove fidelium cenſeri poteſt, ut dicatur *populus appropinquans Deo*, jugiter offerens ſe illi; numquam non accedens magiſq; ad ipſum, proficiens in melius ſemper acceſſione virtutum, & ma- C joris imitationis ejuſdem Dei; numquam conſiſtens, ſed ad anteriora extendens ſeipſum m, [m Philip. 3.13] promptus ad obſequia illius, impleri cupiens agnitione voluntatis ejus in omni ſapientia, & intellectu ſpiritali n. [n Coloſſ. 1.9] Appropinquamus, accedimus, progredimur, tendimus in hac vita, *peregrinantes à Domino* o, [o 2. Cor. 5.6] donec ad illum perveniamus, *eum teneamus, nec dimittamus* p, [p Cant 3.4] ſed *adhæreamus, quod nobis bonum* q, [q pſ. 72.28] immo optimum eſt, *parſque optima, quæ non auferetur* r, [r Luc. 10.42] *gaudium quod nemo tollet à nobis* ſ. [ſ Joan. 16.22]

Alleluja.) Relege dicta in fine pſalmi præcedentis: ubi docui non videri verum, quod hoc loco Remigius tamquam ex vero refert Hieronymus, in quocumque pſalmo habetur *alleluja* in principio, habere alterum in fine. Traditum eſt id à putato Hieronymo, ad initium dicti prioris pſalmi. Græci prætermittunt, & Arabes, Æthiopes, Illyrici, ut ibidem notavi.

PSALMUS
CENTESIMUSQUADRAGESIMUS NONUS.

Alleluja.

1. Cantate Domino canticum novum: laus ejus in Eccleſia ſanctorum.
2. Letetur Iſrael in eo, qui fecit eum: & filii Sion exultent in Rege ſuo.
3. Laudent nomen ejus in choro: in tympano, & Pſalterio pſallant ei:
4. Quia beneplacitum eſt Domino im populo ſuo: & exaltabit manſuetos in ſalutem.
5. Exultabunt ſancti in gloria: lætabuntur in cubilibus ſuis.
6. Exaltationes Dei in gutture eorum: & gladii ancipites in manibus eorum.
7. Ad faciendam vindictam in nationibus: increpationes in populis,
8. Ad alligandos Reges eorum in compedibus; & nobiles eorum in manicis ferreis.
9. Ut faciant in eis judicium conſcriptum: gloria hæc eſt omnibus ſanctis ejus. Alleluja.

Titulus, & Argumentum.

Alleluja.

Nihil in ulla editione aliud habet pſalmi titulus, niſi *alleluja*: quod alibi declaratum non ſit, quod nos nunc moretur. [Titulus ſuperius explicatus; Argumentum.] Argumentum eſt obligatio populi Hebræi, ut Dominum ſupra cunctas alias gentes laudet, qua in eo ſibi Dominus magis complacuerit, & majoribus beneficiis eum affecerit, glorioſiorem reddiderit victoriam de hoſtibus, illorumq; regibus contulerit, & collaturum adhuc pro occaſione promiſerit. Hoc Græci proprie accipiunt de populo, qui ex captivitate Babylonica nuper liberatus reverſuſq; cum alio hoſte conflixit, ac eum vicit. Addit Chryſoſt. & Theodor πρόῤῥησιν τῶν ὑπὸ τῶν Μακκαβαίων κατορθωθέντων *prædictionem rerum à Machabæis geſtarum*. Idem, & is qui dicitur Baſilius, præterea Euthymius, citans Gregorii Theologi orationem de encæniis, docent ſecundum anagogen (quæ allegoria quoq; dici poteſt; & melius) tractari de novo Teſtamento t, [t Jer. 31.31] *nova creatura* u, [u 2. Cor. 5.17.] *novo homine* x, [x Coloſſ. 3.19] ſive de illis qui nova effecti ſunt creatura, perque teſtamentum novum, hominem novum induerunt. Nazianzen. in oratione 43. quæ eſt in novam Dominicam, ſimul præterea in veris tempeſtatem, & in ſanctum Mamantem, non procul ab initio, ſcribit, quod canticum novum canere jubemur, tam qui in Babylonem, ac pravam confuſionem à peccati pertra- C cti ſervitute, ac deinde Jeruſalem incolumes reverſi ſumus, atque illic quidem, ut *in terra aliena*, canticum divinum canere minime poteramus y, [y pſ. 136.4] hic autem novam cantionem, vitæque rationem inſtituimus, quam, qui in virtute perſtitimus, novoſque ſubinde in eo progreſſus facimus, innovatoriſque ſpiritus ope, atque auxilio, virtutis muneribus partim jam functi ſumus partim fungimur, Scholiaſtes Nazianz. Nicet. z, [z num. 4] eadem inculcat; & de vita nova agi, noviſq; mandatis, novaq; gratia, novis pollicitationibus, novis ſacramentis, novis præceptis: item quod conveniat canticum iſtud non tantum ex ſpirituali reverſis captivitate per pœnitentiam, vitæque rationem novam ineuntibus; verum etiam his, qui talem captivitatem nequaquam pertulerint, ſed virtute tamquam in patria manſerint, ac proficiendo novos ſubinde virtutis progreſſus fecerint. Denique Rex Chriſtus canendus proponitur ſuos ſalvaturus, poteſtatem ultricem in gentes, ac adverſarios omnes tùm inviſibiles, tùm viſibiles, daturus. Athanaſ. de pſalmo hoc ſcribit ad Marcellinum eadem quæ de priore, ultimoq; ac aliquot prioribus, quod habet ὑποκοὴν τὸ ἀλληλούϊα: & quod ſit commodus volenti D Deum laudare, & cognoſcere, quomodo, & quibus in rebus laudandus ſit, & quæ verba ad illius laudem dicenda ſint: & quod ſit ex iis, qui laudes celebrant. Peculiare item eſſe dicit, eſſe προτρεπτικὸν μετὰ ᾄσματος *adhortatorium cum cantico*.

Verſ. 1.) Cantate Domino canticum novum, laus ejus in Eccleſia ſanctorum.

Videtur hic verſus extremo priori pſalmo nexus, ut Hilarius quoque annotavit, & Hugo Card. ubi hymnus omnibus ſanctis dicabatur filiis Iſrael, populo appropinquanti ad Deum. [Senſus loci] Et quia cum ſequenti etiam pſalmo hic ipſe conjunctionem habet, hac forſitan de cauſa, pręter alias, in fine laudũ tamquam unicus tres iſti pſalmi canuntur, hymnum doxologicum, ſive *Gloria Patri, &c.* reci-